*MASTER*
*NEGATIVE*
*NO. 93-81698-6*

MICROFILMED 1993

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

# COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States - Title 17, United States Code - concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material.

Under certain conditions specified in the law, libraries and archives are authorized to furnish a photocopy or other reproduction. One of these specified conditions is that the photocopy or other reproduction is not to be "used for any purpose other than private study, scholarship, or research." If a user makes a request for, or later uses, a photocopy or reproduction for purposes in excess of "fair use," that user may be liable for copyright infringement.

This institution reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

*AUTHOR:*
BRUENNERT, GUSTAV

*TITLE:*
DE SALLUSTIO IMITATORE CATONIS SISENNAE . . .

*PLACE:*
IENAE

*DATE:*
1873

Master Negative #
93-81698-6

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

## BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

87SD
Z61 Bruennert, Gustav, 1850-
De Sallustio imitatore Catonis Sisennae aliorumque veterum historicorum Romanorum; dissertatio inauguralis quam... scripsit Gustavus Bruennert...
Ienae, 1873.
49 p. 23 cm.

Thesis, Jena.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 8/25/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT






**Association for Information and Image Management**
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202









MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Sallust and Cato Censorius No. 4
" - Sisenna
87S]
Z61

DE

# SALLUSTIO IMITATORE CATONIS SISENNAE

## ALIORUMQUE VETERUM HISTORICORUM ROMANORUM.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA IENENSI

AD

**SUMMOS IN PHILOSOPHI[illegible]ONORES**

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

**GUSTAVUS BRUENNERT**

RUDOLPHOPOLITANUS.

IENAE MDCCCLXXIII.

CONRADO BURSIAN

ERNESTO KLUSSMANN

CARISSIMIS PRAECEPTORIBUS

S.

---

NOV 22 1904 Brockhaus. 72

# De
# Sallustio, imitatore Catonis, Sisennae
## aliorumque veterum historicorum Romanorum.

---

Quamvis viri doctissimi quum in literis Romanis atque Graecis, tum maxime in illustrissimorum auctorum scriptis summo acumine ingenia exercuerint atque quaestiones difficillimas ad exitum adduxerint, tamen in copia uberrima nonnullas res intactas reliquerunt, alias in transitu et leviter perstrinxerunt, de aliis in diversas partes discedunt. Sic mihi Sallustii scripta eorumque commentarios pertractanti quum de eius dicendi genere iudicia diversa et contraria occurrerunt, tum maxime de eo, quibus in rebus Sallustius Crispus veteres historicos, imprimis Catonem et Sisennam imitatus sit, quapropter hanc quaestionem peculiari commentatione tractandam suscepi.

Conscripserunt de hac re iam ante me nonnulli, ut Deltour Parisiensis, qui, quid apud Sallustium ad Catonem referendum esset, exposuit; alia alii viri doctissimi partim in editionibus Sallustii dispersis annnotationibus commemoraverunt, ut Gerlach, Kritz, Fabri, Dietsch, qui de interpretatione C. Sallustii optime meruerunt, partim in libris praestantissimis de literis Romanis conscriptis acutis explorationibus annotaverunt, ut Bernhardy, Baehr, Teuffel, qui, quamvis in re proposita argumentum illud accuratius examinare non potuerint, tamen mihi magno usui fuerunt. Tum vero nonnulla me debere Badstuebneri et Lawsii dissertationibus de dicendi genere Sallustii conscriptis, neque pauca Ruddimanni, Nevii, Madvigii, Buecheleri, Corssenii grammaticis libris libenter confiteor. Praeterea in hoc opere conficiendo valde me adiuvit Peter, qui optime de colligendis et ordinandis historicorum priscorum fragmentis meritus est. Libellum

a Schultzio de archaismis Sallustianis compositum, quem frustra in bibliotheca Lipsiensi quaesivi, nuper demum hac commentatione paene confecta ex bibliotheca Ienensi accepi.

Haec sunt, quae mihi in componenda hac dissertatione magno usui et auxilio fuerunt. Quae vero debui Catonis et Sisennae interpretibus, singulis locis quam accuratissime addidi.

His praemissis ad rem ipsam aggrediamur.

---

Sallustium ab usitato scribendi genere valde discessisse et antiquorum scriptorum exemplum secutum colorem antiquitatis affectasse, non modo veterum testimoniis satis confirmatur, sed etiam a multis summo vitio ei vertitur. Nam etiamsi Lenaei iudicium, qui (Sueton. de ill. gramm. 15) eum „priscorum Catonisque verborum ineruditissimum furem“ appellat, e partium studio ortum, et Asinii Pollionis verbis (Suet. de ill. gramm. 10), qui Sallustii scripta reprehendit „ut nimia priscorum verborum affectatione oblita“, fides non habenda est, quia vel praeclarissimos scriptores, ut Ciceronem, Caesarem, Livium carpit, tamen nonnulla alia testimonia exstant, quae haud parvi aestimanda sunt. Sic Quintilianus (VIII, 3, 29) epigramma affert, quo Sallustius his verbis laceratur:

„Et verba antiqui multum furate Catonis,
Crispe, Iugurthinae conditor historiae“.

Praeterea Sallustius acriter vituperatur ab Augusto (Suet. Oct. 86), quod „multa verba e Catonis originibus excerpserit“, et a Frontone (epist. ad Caes. IV, 3, p. 62 Nab.), qui eum frequentem sectatorem Catonis appellat. Ab his iudiciis haud differt Gellii, qui Sallustium I, 15, 18 „novatorem verborum“ nominat (cf. VI, 17, 8; X, 21, 2) et eidem (IV, 15, 1) „verborum fingendi et novandi studium“ vitio duci profitetur. Nam recte Deltour p. 8 dicit: „Saepissime ad priscorum vocabulorum opem confugit, qui novus esse studet; duo autem illa, priscas voces usurpare et novas proferre, quamquam prima specie inter se diversissima, in scriptore bono et docto mire congruunt“, quam sententiam Gellius XI, 7, 2 confirmat: „Nova videri dico etiam ea, quae sunt inusitata et desita, etsi sunt vetusta“.

Quae si comparaveris cum sententiis a recentioribus prolatis, quarum nonnullas afferre liceat, multo plures laudatores quam



obtrectatores Sallustianae elocutionis exstitisse videbis. Velut Iacobs in edit. suae praefat. haec verba ponit: „Er hat ſeinen ganzen Vortrag faſt durchgängig in ein echt altrömiſches, dem Inhalt wohlſtehendes Gewand gekleidet;“ Teuffel in libro de lit. lat. p. 385: „Die Archaismen beſtehen hauptſächlich in Wendungen, die dem Cato entnommen ſind. Auf Vorkatoniſches gehen ſie nicht zurück und ſind dazu beſtimmt, die Darſtellung feierlicher, pathetiſcher zu machen;“ Bernhardy in libro de lit. lat. p. 704: „Die Sprache war zwiſchen Eleganz der Zeitgenoſſen und Alterthümlichkeit getheilt, ſein lebhafter und energiſcher Stil verband durch berechnete Miſchung den würdevollen Ernſt des alten Lateins in erleſenem Wortgebrauch, in Flexion und Bedeutungen mit Raſchheit und feinem Korn des Vortrags;“ Baehr in libro de lat. lit. II. p. 132: „Der alterthümliche Hauch, der das Ganze durchweht, und ihm ein ehrwürdiges Anſehen verleiht, erſcheint . . . nicht unpaſſend.“

Severiora vero esse veterum de Sallustii antiquitatis studio iudicia haud mirum est, si omnino, quid illi de antiquioris sermonis cupiditate senserint, respicimus. Nam ut Cicero de orat. III, 25, 97 et 37, 150 id praecipue cavendum esse censet, ne obsoleta sit oratio, sic Quintilianus II, 5, 21, „ne quis eos (pueros) antiquitatis nimius admirator in Gracchorum Catonisque et aliorum similium lectione durescere velit.“ Et idem I, 6, 39, quamquam interdum vetusta verba admitti posse censet, ut maior majestas orationi concilietur, tamen pergit: „sed opus est modo, ut neque crebra sint neque manifesta, quia nil est odiosius affectatione, nec utique ab ultimis et iam obliteratis temporibus“. Sed quamquam veteres illi quidem antiquitatis studium condemnarunt, tamen in Sallustio excusari posse mihi videtur. Nam vitium illud, quod Sallustio obiectatur, minus ex eius natura quam ex aetate, qua scripsit, repetendum et deducendum est. Temporibus enim, quibus Sallustius scripsit (ut apud Graecos Thucydidis aetate), in oratione conformanda mos nondum usu stabilitus et receptus fuit, ita ut copiam verborum ad libidinem constituere liceret atque campus esset, in quo exsultare posset oratio. cf. Bernhardy p. 677: „Niemand hinterließ ein anerkanntes Muſter für den Stil der Geſchichtsſchreibung. Jedem blieb unverwehrt, ſeinen eigenen Weg zu gehen und von vorn wieder anzuheben. Daher geſchah, was anfangs ſeltſam klingt, daß der Archaismus in dieſer Gattung am längſten ſich erhielt, und auch die jüngſten Hiſtoriker den ver-

alteten, unkorrecten Redebrauch in einem lockeren und tonlosen Satzbau noch nicht aufgaben." Quare Sallustius sermone artificioso ex graecismis et archaismis mixto uti solet; quippe exemplum veterum scriptorum secutus eorum scribendi genus imitatus est (cf. Teuffel in lit. antiq. encycl. VI p. 701).

Quid autem Sallustium moverit, ut ipsorum antiquorum dicendi genus affectaret, de hac quidem re diversis opinionibus disceptant viri docti. Deltour (p. 82 sq.) vero et Laws (cap. IX) fere in eo consentiunt, Sallustium ambitionis et ostentationis causa ab usitato sermone recessisse et veteres imitatum esse, quae opinio mihi multo minus verisimilis esse videtur quam Badstuebneri et Dietschii, quorum alter in libelli sui (de Sall. dicendi genere comment. Berl. 1863. 4.) pag. 3 haec verba facit: „Sallustius quum antiquitatis admiratione et veneratione quadam motus haud dubie in scriptis demonstrare vellet, quantum et quale inter praeteritum et praesens tempus discrimen intercederet, pro singulari animi habitu vel pro ingenii natura atque indole proprium quendam sermonem atque dictionem sibi finxit, qua admirationem antiquitatis taediumque rerum praesentium exprimeret et declararet", alter (ed. Sall. 1843, 1846) quum multis locis, tum maxime in interpretandis orationibus Memmii et Marii, quae imprimis antiquitatem redolent (Iug. 31 et 85, 5) causas prisci illius coloris affert. Dicit enim, eo consilio Sallustium antiquitatis speciem sectatum esse, ut aequalibus suis quasi speculum praeberet, quod intuentes sua vitia eorumque remedia cognoscerent, atque orationes illas composuisse, quo hominum mores corrigeret aequalesque doceret, unde tot mala in rempublicam irruissent.

Sallustio igitur consideranti et intelligenti, corruptos mores civium post Caesaris mortem rempublicam in praeceps dedisse, pristinum illud tempus gloriae fortitudinis, simplicitatis sanctimoniae, virtutis continentiae ob oculos versatum est, quod tanta admiratione amplectebatur, ut in ipso sermone, neglecta oratione polita et ornata, elocutionis illius antiquioris simplicitatem, gravitatem, asperitatem retineret et effingeret. Sed cave ne putes, Sallustium magno opere et labore voces et structuras ex priscorum historicorum scriptis conquisivisse; immo potius veterum rerum auctorum scriptis diligenter evolvendis eorum dicendi genus et propriam scribendi consuetudinem consecutus in suum usum convertit. Quae imitatio, quamvis multum contulerit ad virtutes



in Sallustiana oratione conspicuas, tamen effecit, ut elocutioni aliquid, ut ita dicam, facti et asciti inesset.

His praemissis transeamus ad ea illustranda, in quibus Sallustius veteres historicos imitatus est, atque capite altero demonstrare conemur, quae a singulis scriptoribus in oratione conformanda mutuatus sit, imprimis a Catone et Sisenna, praeclarissimis auctoribus, qui ante Sallustium res gestas populi Romani scripserunt, altero capite, quae in universum ad imitationem antiquiorum scriptorum historicorum referenda sint.

At enimvero in his investigandis multa mihi adversa fuerunt. Atque primum quidem maxime dolendum est, illorum auctorum veterum scripta aut periisse aut admodum mutilata ex ingenti literarum naufragio ad nos pervenisse. Huc accedit, quod inter ipsas reliquias multae sunt, quas posteriores rerum scriptores in medium proferunt, qui res tantummodo, non verba servarunt. Ac ne earum quidem, quas ex priscis illis historicis grammatici verborum causa excerpserunt, multae ex ipsis illorum scriptis ad grammaticos transierunt, sed per complures libros traditae sunt.

Quae quum ita sint, veniam me impetraturum spero, si in re tam ardua et lubrica nonnunquam in errores inciderim neque satis comprehenderim, quae ad rem propositam pertineant.

# Caput I.

## Quibus in rebus Sallustius singulos rerum scriptores imitatus sit, exponitur.

### A. Quid ad Catonem referendum sit.

Inter eos, qui ante Sallustium res gestas populi Romani scripserunt, M. Porcius Cato maxime inclaruit, qui primus latina lingua usus soluta oratione historiam composuit, qua non modo Romanorum, sed omnium gentium Italicarum res gestas, mores, instituta narravit et terram Italicam descripsit. Idem vero a superioribus rerum scriptoribus hac re distat, quod tenuem et exilem annalium, quas nemo paene legebat, formam aspernatus „capitulatim" res narrabat, i. e. „per capita, ita ut levioribus omissis summas et primarias res exponeret, has vero plene et copiose" (cf. Peter praef. p. CXXXXIII). Praeterea res gestas,

quas scribebat, ex multis et praeclaris fontibus hausit, quare ei multam diligentiam et assiduitatem tribuunt Nepos, Cicero, Dionysius, Velleius, Gellius, Solinus, Servius, quamquam idem Nepos doctrinam in eo desiderat. Denique genus scribendi, quo Cato usus est, a multis laude effertur, praecipue a Cicerone (Brut. 87, 298 et 17, 66 et 85, 294; de orat. III, 33, 135), ab Horatio (de art. poet. 56), a Livio (IV, 39, 40), a Frontone, Solino, Servio, aliis. Accedit huc iudicium Sallustii, quod nobis maximi momenti est. Ille enim Catonem fragm. I, 2 (Kr.) laudat, quod res „disertissumus paucis absolverit", quae laus cum Cicerone (de orat. II, 12, 53) congruit. Aliis vero locis Sallustium Catonem vituperasse propter partium studium, Kritz ad fr. I, 2 et fr. inc. 44 contendit, ubi verba: „in quis longissumo aevo plura de bonis falso in deterius composuit" ad Catonem referenda esse suspicatur. Sed merito Dietsch (fr. inc. 78) mihi Kritzii iudicium refellisse videtur, praesertim quum Cicero et Dionysius Catoni magnam fidem tribuant, atque eadem laude etiam alii, ut Fronto et Solinus, eum decorent. Quare Petri sententiam valde comprobo, qui „industriae et religionis famam magnam eius originibus auctoritatem conciliasse" praedicat. Ad hoc Sallustius, ut Peter suspicatur, Catonis mentionem fecit Iug. 4, 2: „magno usui est memoria rerum gestarum: cuius de virtute quia multi dixere, praetereundum puto".

Ex quibus satis apparet, Catonis auctoritatem quum apud veteres, tum maxime apud Sallustium multum valuisse. Atque etiamsi ratione, qua Origines scriptae erant, multi impediti sunt, ne eas in rebus gestis describendis sequerentur (cf. Peter p. CLI), tamen non solum Cassius Hemina, sed etiam Coelius et Sisenna ad fontes Catonianos rediisse videntur. Atque etiam posterioribus temporibus Cicero, Nepos, alii saepe Catonis scripta non modo lectitaverunt, sed etiam nonnulla ex iis arripuerunt. Quare ne Sallustius quidem castigandus est, quod Catonem multis in rebus secutus et imitatus est, praesertim quum pro consilio, quod inierat, Catonem maxime idoneum putaret, quem imitaretur. Nam quum Sallustium in componendis libris suis id egisse constet, ut civibus causam afflictae reipublicae in depravatis moribus positam esse ostenderet, nemo praeclariorem imaginem probitatis et simplicitatis praebere videbatur, quam M. Porcius Cato, priscae virtutis propugnator.



Hunc vero Catonem Sallustium et imprimis in usu verborum imitatum esse testimonia veterum iam supra commemorata satis confirmant, quibus recentiores viri docti assentiuntur, ut Bormann (Catonis Originum reliquiae, Brandb. a. H. 1858. 4.): „Quae de Sallustio tradunt, spectant ad dicendi genus, non ad ipsas res"; Deltour (de Sall. Catonis imitatore, Paris. 1859) p. 70: „Sallustius non Catoniana modo verba et scribendi genus ac colorem et sententias imitatus est; nec tantum, quum de republica aut ipse loquitur aut alios loquentes facit, cum sensibus Catonis mire congruit, sed etiam historiae scribendae legem ad Originum formam sibi constituit"; p. 77; „Melior mihi Sallustius, quum originum exemplo loca, urbes, populorum mores, instituta, res antiquas recenset, quam quum Catonianas voces, vocum constructiones, sententias adhibet et ad formam eius orationis suam fingit"; Linker (ed. Sall. p. 30): „Sallustius Catonis concinnam brevitatem et priscum dicendi genus totamque fere orationis conformationem et colorem imitatus est"; Peter (hist. Rom. rel. p. CLII): „Etiam C. Sallustius Crispus magis propter genus scribendi quam propter res scriptas Catonem amavit multumque volutavit, .... at genus scribendi ita admirabatur, ut non solum verba quaedam ex originibus excerperet, sed etiam totas sententias imitaretur" (cf. Iordan, Catonis, quae exstant, p. XXV); Teuffel in hist. lit. lat. p. 382: „Im Einzelnen des Sprachgebrauchs hat er von dem in seiner Zeit Gewöhnlichen mit Bewußtsein sich entfernt und nach griechischen Analogien, besonders aber aus der Weise des älteren Cato sich eine eigene Schreibart gebildet"; et p. 385: „Die Archaismen bestehen hauptsächlich in Wendungen, die dem Cato entnommen sind".

His aliorum de Sallustii studio Catonem imitandi iudiciis propositis paucis, quid mihi de eo iudicandum videatur, proferre liceat. Atque mihi quidem imitatio illa pertinere videtur primum ad nonnullas res grammaticas, deinde ad vocabula quaedam, tum ad Catonis rationem historiae scribendae, denique ad sententias nonnullas, quas Sallustius sibi ex Catone vindicavit.

Itaque primum exponemus, quid **in grammaticis rebus** Sallustius a Catone deprompserit.

Superlativo insolentiore Sallustius utitur Cat. 61, 7: „*strenuissumus*", quo eodem modo Cato (Orig. Iord. p. 19, 1, et R. R. praef. 4) locutus est (similiter Plautus Epid. III, 4, 10: „stre-

nuior"). — Sed etiam aliae eius modi comparativi et superlativi formae ab optimae aetatis usu plane abhorrentes quum apud antiquiores scriptores, tum maxime apud Catonem reperiuntur, velut: „arduius" (Iord. p. 85, 6), „arduissimus (38, 9), „egregiissimus" (Pacuv. apud Prisc.), „industriior" (Plaut. Most. I, 2, 71; Gracch. apud Prisc. III, p. 88 [K.], Cato p. 55, 12), „innoxiior" (p. 42, 10), perpetuior" (p. 55, 3), quibus addantur „beneficissimus" (Cato p. 43, 3), „munificior" (p. 72, 16), „magnificius" (p. 66, 4), „veterior" (p. 9, 3), „repulsior" (p. 60, 5), „ratissimus" (p. 42, 3), „incolomior" (Claud. fr. 9), „litorosissimus" (Fab. Max. fr. 1). Ex quibus quum appareat, Catonem eiusmodi formas horridiores valde amasse, haud dubito contendere, Sallustium in usu illius superlativi insolentioris Catonem imitatum esse.

Deinde Sallustius morem Catonis in usu *formae „ere" pro „erunt"* in perf. act. secutus esse videtur. Quam ut sententiam conciperem, Neue (Formenl. d. lat. Sprache) me movit verbis II, p. 294 prolatis: Bei Plautus und Terenz ſind erunt überwiegend, wiewohl ſich bei ihnen und in den Ueberbleibſeln der übrigen alten Dramatiker auch ere nicht ſelten findet. In den Anführungen aus Cato iſt gewöhnlich „ere". Atque Sallustii scripta perlustrantes formam in „erunt" exeuntem, aut optimis et plurimis libris, aut grammaticorum testimoniis munitam legimus: Cat. 20, 10 „consenuerunt", Cat. 45, 3 „venerunt", 51, 9 „dixerunt", 51, 38 „sumpserunt", Iug. 14, 5 „appetiverunt", 58, 3 „quiverunt", 85, 32 „profuerunt", 87, 4 „cognoverunt", fragm. I, 51 (Kr.) „decreverunt" et „corruperunt", I, 85: „maturaverunt", II, 11 „tenuerunt", II, 32 „tradiderunt", IV, 19, 10 „lacessiverunt", fr. i. 30: „incurrerunt". Ex his exemplis apparet, apud Sallustium formam in „erunt" exeuntem raro inveniri, quae apud omnium aetatum scriptores usitata fuit. Nam alteram formam in „ere" desinentem apud Nepotem nusquam, apud Ciceronem sine varietate tantummodo ep. 10, 19 „dedere", de leg. 1, 2, 6 „successere", in Rull. 1, 4 „suscepere", in Pis. 40 „fuere" (cf. Zumpt gram. lat. p. 163), apud Quintilianum septem locis reperies (cf. Bonnell, lex. Quint. prol. p. XXVII). Atque in historicorum Romanorum veterum, excepto Catone, scriptis, quae ad hunc finem perlegi, unum tantummodo exemplum formae „ere" reperi, quod exstat apud Aemilium Scaurum in orat. 2 (Pet.): „triumphavere". At in Catonis originibus et orationibus formarum [in



„erunt" exeuntium hae tantummodo notari possunt: „habuerunt" (Iord. p. 4, 15), „possederunt" (p. 15, 5), „calliscerunt" (p. 56, 2), „defoderunt", „circumposuerunt", „interfecerunt" (p. 56, 3 et 4), „voluerunt" (p. 72, 7), „meritaverunt" (p. 88, 5). Praeterea semper formam in „ere" desinentem reperi: „accessitavere" (Iord. p. 8, 5), „fuere" (p. 8, 16), „meminere" (p. 9, 11), „dedere" (p. 19, 9), „cognovere", „sustulere" (p. 19, 12), „decoravere" (p. 19, 18), „habuere" (p. 20, 1), „decessere" (20, 13), „rescivere" (p. 21, 5), „noluere" (p. 23, 6), „metuere" (p. 23, 9), „adiuvere" (p. 23, 13), „fecere" (p. 33, 4), „habuere" (p. 39, 6; 59, 7 et 10), „paravere" (p. 39, 3), „verberavere" (p. 41, 3), „videre" (p. 41, 3), „obsonitavere" (p. 52, 14 bis), „censuere" (p. 64, 6), „veniere" (p. 66, 6), „emptitavere", „redemptitavere" (p. 69, 7), „succidiavere" (fr. 39. P.). Quae quum ita sint, haud dubito contendere, Sallustium formam perfecti in „ere" desinentem ex Catone mutuatum esse, atque Livium, Velleium, Senecam, imprimis Tacitum, apud quos ea forma frequens est, Sallustii exemplum secutos esse.

Sallustio cum Catone communis est usus formae *„auxisse"* (Sall. fr. I, 51, 6 [K.], Cato p. 8, 6), vel passiva vi usurpatae, qua: „auctum esse" (ut Fabri iudicat), vel intransitiva (cf. Kritz et Dietsch), qua: „incrementum capere" significat (cf. Reisig Vorleſ. §. 174). Quem usum receperunt et Lucretius (II, 1163: „augent labore") et Tacitus (annal. IV, 41 [?]).

Similiter ac Cato Sallustius Iug. 31, 8 verbo *„nequeo" passivo genere* utitur. Atque quamvis hic usus etiam aliorum scriptorum proprius sit, velut Lucretii (I, 1045), Pacuvii, Apuleii, Plauti (Rud. IV, 4, 20, Persa II, 2, 12), Terentii (Hecyr. IV, 1, 57), (cf. Kritz Iug. 31, 8), tamen, quum in oratione Memmii reperiatur, quae maxime ad Catonis genus dicendi conformata esse videtur, atque prisci Catonis verba saepe furatum esse Sallustium complura exstent ex antiquitate testimonia, illius quoque vocis usum Sallustium ex Catonis originibus (Iord. p. 8, 17) mutuatum esse censeo.

Eadem de causa Deltourio et Schultzio (de archaismis Sallustianis. Halle 1871) assentior, qui Sallustium in frequenti *adverbiorum cum „esse" verbo conjunctorum* usu ad Catonis exemplum regressum esse contendunt. Nam contra usitatum loquendi morem adverbium *„frustra":* Iug. 7, 6; 61, 1; 71, 5;

73, 7; 85, 6; 93, 1; 112, 2; fr. III, 82, 9 verbo „esse“ subiungitur, atque uno loco (85, 6) ad personas spectat, qua ratione idem quod „falli“ significans saepius etiam a Plauto (Amph. III, 3, 20, Merc. III, 1, 30, Capt. III, 1, 31, Mil. V, 29) adhibetur (cf. Badstueb. p. 11; Fabri ad Iug. 85, 6). Alia adverbia insolenter cum „esse“ iuncta sunt: *„abunde“* (Cat. 21, 1; 58, 9; Iug. 63, 2) et *„obviam“* (fragm. II, 95). Minus cum solita dicendi ratione pugnant et hae elocutiones: „tutius esse“ Iug. 14, 11; „laxius esse“ Iug. 87, 4; „facilius esse“ Iug. 94, 1, „propius esse“ Cat. 11, 1 (quo tamen loco dubium est, num adverbium sit), et praepositiones adverbialiter verbo „esse“ subiunctae, ut Cat. 23, 7: „post“, Iug. 85, 22: „contra“, fragm. II, 83: „circum“, alia, quae in quotidianum sermonem abierunt et omnibus aetatibus ab optimis scriptoribus usurpantur (cf. Dietsch ad Iug. 14, 11, Badstuebn. p. 11, Reisig Vorl. §. 224).

Quem adverbiorum usum Sallustium ex Thucydidis sermone hausisse, quum Poppo (Thucyd. Vol. I, 374) contendat, equidem Deltourio potius assentior, quum Catonis proprius sit ille dicendi mos (cf. „sero esse, impune esse“ etc.), cuius in ceterorum historicorum reliquiis nullum exemplum reperitur.

Constructio verbi *„ire“ cum supino* apud Sallustium satis frequens est. Velut „perditum ire“ legitur Cat. 36, 4; 52, 12; Iug. 31, 27; „captum ire“: fragm. I, 45, 20; „ereptum ire“: Iug. 85, 42; „ultum ire“: Iug. 68, 1 [et fragm. III, 82, 17]. Atque eodem modo Sallustius *„properare“* verbum fr. III, 82, 16 cum supinis „auctum atque adiutum“ et fr. V, 18 cum supino: „quaesitum“ coniungit. Quam dicendi rationem, cuius est apud Ciceronem rarior usus, frequentior apud Caesarem, Livium, Tacitum (cf. Badstueb. p. 49. not.), Fabri (ad orat. Lic. §. 16) praeeunte Gerlachio in antiquiore sermone frequentissimam fuisse censuit: „Die ältere Sprache ſcheint das Supinum in größerer Ausdehnung als die ſpätere gebraucht zu haben“, atque recte censuisse mihi videtur, quum Plauto, Terentio, aliis comicis satis trita fuerit (cf. Neue II, 289; Krueger lat. gram. §. 483, A, 2; Reisig not. 597). Sed quum inter historicos veteres solus Cato isque frequentissime illa constructione utatur (cf. p. 14, 4 „lignatum, aquatum ire“; p. 17, 6 „depugnatum ire“; p. 51, 5 „prohibitum ire“; p. 63, 7 „factum ire“; p. 80, 11 „supplicatum ire“, praeterea: „expiatum venire“ p. 15, 9; „proficisci servatum“ p. 35, 14), libenter ad Deltourii sententiam accedo, qui illam dicendi rationem Sallustii propriam ad Catonem refert.



In particularum usu Sallustius a more usitato ita deflectit, ut vocem *„igitur“* nunquam secundo loco, quaestionibus exceptis, ponat. Quam voculae locationem quamquam neque Cicero neque alii scriptores probati, ut Livius et Tacitus, vitarunt, tamen nemo cum Sallustio in hoc comparari potest. Atque quum illa collocatio ipsi Catoni propria sit, Sallustius etiam in hac re Catonem imitatus esse videtur. Dietschium autem, qui ad Cat. 2, 1 pro certo affirmat, antiquorum esse, in principio enunciati particulam „igitur“ ponere, multum a vero aberrasse, antiquorum scripta ipsa docent, qui saepe „igitur“ secundo loco ponunt.

Haec sunt, quae in grammaticis rebus Sallustius mihi ex Catonis libris hausisse videtur. Nam ut Deltour nonnulla alia ad Catonis imitationem referret, vix fieri potuit, si accuratius rem exquisivisset. Alia enim, quae scriptorem nostrum ex Catone hausisse arbitratur, non modo Catonis, sed totius antiquitatis propria sunt, de qua re infra disseram, alia Sallustius ex Thucydide arripuit, alia nil obsoleti aut insoliti habent, sed apud omnes scriptores leguntur, velut: „per deos immortales“, „me dius fidius“, quarum elocutionum utramque Cato semel (Iord. p. 43, 1 et 63, 7) usurpat.

At, ut haec omittamus, tamen negari non potest, multis in rebus grammaticis Sallustium Catonis morem secutum esse, multis in rebus ab usitato aureae aetatis dicendi genere recessisse, non ita tamen, ut eum parum latine locutum esse contendere possis. Nusquam enim apud eum huiusmodi formae reperiuntur, quibus Cato utitur: „filiabus“, „tributus“ pro „tributum“, „pecu“ pro „pecus“, „damnas“ pro „damnatus“, „alteras“, „ques“, „vestrorum“ pro „vestrum“, „duoetvicesimus“, „tertiato“, „quartato“, „siem“, „peragier“.

Sed haec de grammaticis rebus. Accedo ad **voces, quas Sallustius ex Catonis scriptis hausit.**

In praeclarissima illa Marii oratione Sallustiana (Iug. 85, 10) vocabulum *„prosapia“* legitur, quod Cortius et Dietsch priscum esse, Gerlach et Kritz auctorem nostrum a Catone hausisse recte contendisse mihi videntur. Nam praeterquam quod Quintilianus I, 6, 40 et VIII, 3, 26 illud verbum in numero antiquiorum

ducit, et Cicero de univ. c. XI, ubi illud usurpat, addit: „ut utamur vetere verbo“, rarissime apud scriptores (apud Plautum, Suetonium, Apuleium, Iustinum), nusquam in veterum historicorum fragmentis reperitur, nisi in Catonis originibus (p. 9, 6).

Cui voci adicio vocabulum *„luxus“*, quod Sallustius pro eo, quod est „luxatus“, fragm. V, 2 posuit. Eandem vocem insolentem Cato (RR. 166) usurpat, quare illam Sallustium ex Catone transtulisse arbitror.

Saepe ut apud Sallustium (Cat. 8, 5; Iug. 85, 5; fragm. I, 51, 4. 6), sic apud Catonem (p. 37, 3; 38, 11; 69, 7) *„benefactum“* pro voce „beneficium“ positum est. Atque quamquam illud verbum eodem sensu Ennius (apud Ciceronem de off. II, 61, 18) et frequenter Plautus adhibuit, tamen quum illa significatione Cato in tam paucis fragmentis saepius usurpaverit, Deltourii sententiam sequor, qui illam vocem ex Catonis scriptis Sallustium sibi vindicasse contendit. Num autem verba: „benefacere“ (quod a Gerlachio Cat. 2 falso „antiquum“ dictum esse puto) et „malefacere“ ex Catonis scriptis mutuatus sit, ut Deltour p. 20 et Schultze p. 79 affirmant, dubium est, quum haec verba non modo apud Sallustium et Catonem, sed etiam nonnunquam apud Plautum, Terentium, Ciceronem, Nepotem, Livium reperiantur. Tamen quum illa verba frequenter apud Sallustium (Cat. 3, 1; Iug. 22, 3; 31, 22; fr. II, 41, 4; i. 77), frequenter apud Catonem inveniantur (Iord. p. 24, 6. 15; 37, 21; 37, 19), nescio an illis viris doctis assentiri liceat. Quod Deltourius autem voces „malefactum“ et „facinus“ ad Catonem refert, vix probare possum, quum hanc quidem Cicero, Caesar, alii satis frequenter de re mala et de re bona dicant, illam vero omnium temporum scriptores saepe usurpent.

Sallustius *verba*, quibus *deliberandi* notio inest, cum praepositione *„cum“* et voce *„animus“* conjungere solet, velut „reputare cum animo“ Iug. 13, 5; 70, 5; 85, 10; „volvere cum animo“ Cat. 32, 1; Iug. 6, 2; 108, 3; „trahere cum animo“ Iug. 93, 1; „habere cum animo“ Iug. 11, 8; quas structuras Herzog (ad. Iug. 6, 2) ex antiquiore, Deltour ex Catonis sermone receptas censet atque iure quidem censuisse mihi videtur, quum etiam apud illum auctorem: „cogitare cum animis“ (Iord. p. 38, 10), praeterea apud nullum, qui ante Sallustium res gestas scripserunt, simile quiddam reperiatur. Atque etsi Terentius „cogitare cum animo“



et Plautus „agitare cum animo“ scripserint, eiusmodi constructiones neque apud Ciceronem neque apud alios auctores in usu fuerunt, apud quos structura: „animo“ vel „in animo“ usitata fuit.

Haec sunt verba et verborum constructiones, quas Sallustius ex Catonis scriptis mutuatus esse mihi videtur. Nam alias voces et vocum structuras, quas Deltour affert, nimis temerarie ad Catonis imitationem rettulisse mihi videtur, ut „mortales“, „artes bonae, malae“, „niti pro aliquo“, „bene, male evenire“, „consulere“, „festinare“, „locus“ („Lage, Gelegenheit“), alia. De usu „mortales“ vocis postea disserendum erit. Quod autem attinet ad reliquas voces, primum „artes bonae, malae“ notione verborum „virtutes“ et „vitia“ usurpatae, qua Cato illis uno loco (p. 45, 6) utitur, omnibus temporibus usitatae fuerunt, deinde structuris „niti pro aliquo“ (Cat. 38, 1; Iug. 15, 2; 31, 17; Cato, Iordan p. 36, 13), „male, bene evenire“, vocabulis „consulere“, „festinare“, „locus“, quid obsoleti et inusitati insit, non video, quum ab omnibus omnium aetatum scriptoribus usu recepta sint.

Quibus expositis quamvis Deltourii iudicium coercendum esse pateat, tamen Sallustii imitationem latius patere minime infitior, quandoquidem illum multa ex Catonis scriptis recepisse ipsis testimoniis veterum confirmatur. Sed quum, ut iam supra commemoravimus, tam pauca fragmenta relicta atque ea male tradita sint, plura verba et grammaticae res afferri non possunt, quae Sallustius ex Catone asciverit.

Sed imitationem illam Sallustii non modo ad grammaticas res et ad singulas voces, sed etiam ad *totum dicendi genus* et ad *totam* **historiae scribendae rationem** pertinere Deltour contendit; quo iure contenderit, infra exponam. Nunc vero tantummodo illud adicio, Sallustium plurima, quae Deltour profert, non ex Catone solum, sed quum ex totius antiquitatis rerum scriptoribus, tum ex Thucydide repetivisse mihi videri.

Hoc unum in historiae scribendae ratione ad Catonem spectare videtur, quod Sallustius vestigia eius secutus rebus gestis *digressiones*, imprimis *geographicas* inserere solet. Nam quamquam nullus rerum gestarum scriptor perpetuam historiam ita complecti potest, ut nunquam ad descriptiones geographicas deflectat, tamen ita frequentes sunt apud Sallustium, ut nos merito offendant. Nam quotiens in enarrandis rebus regio vel terra

occurrit, ubique (atque vel maxime in historiis) recenset, quae ad situm et naturam, ad formam et ambitum eius, ad gentium, quae insunt, opes, mores, instituta spectant. Velut in primo historiarum libro de fortunatarum insularum claritudine (fragm. 62), de Maurorum moribus (63), de piratarum sedibus et origine (78), de urbis Coryci natura (80), in libro secundo de Sardiniae insulae (2—4) et Corsicae (13) facie et antiquitatibus, de Hispanorum moribus et civitatibus (19, 24, 27, 32, 79), de Pisidarum ingenio (78) multa memoriae rerum gestarum, ubi quisque populus vel quaeque terra enarranti occurrit, immiscet. Libri tertii magnam partem comprehendisse videtur descriptio situs et naturae Ponti Euxini et terrarum ei adiacentium (33, 43, 46, 47, 49, 51, 52, 53, 55, 56, 57, 77), praeterea insularum Asiae propinquarum, ut Cretae (60 — 64) et Nearum (34). In libro quarto Italiae inferioris regiones (33 promunturia Italiae, 34 fretum Siculum, 35 Rhegium, 36 Scyllae saxum, 37, 38 Charybdis mare), praeterea Euphratis et Tigris fontes (11), Mesopotamenos (12), Persarum mores (13), Mysos, Thraciae gentem (46), describit.

In libro de bello Iugurthino Sallustius minus quam in historiis in regionibus describendis versatus praecipue in capitibus 17, 18, 19 (praeterea etiam 37, 4; 46, 3; 48, 3; 66, 2; 79, 6; 89, 4 et 5; 92, 5; 93, 4) digressionibus utitur, in quibus de situ et gentibus Africae earumque originibus plenius et uberius scripsit. In libro autem de Catilinae conjuratione composito Sallustium morem, quem quum in Iugurtha, tum maxime in historiarum libris tenet, fere neglexisse (cf. Cat. 55, 3), non est cur miremur, quum in illo libro res domesticas persecutus sit.

Sed ut Sallustii, sic etiam Catonis proprium est, quae de moribus atque institutis gentium et de natura atque situ terrarum sub Romanorum imperium subiunctarum memoratu digna censeat, historiae intexere. Atque etiam originum libris secundo et tertio Cato rerum gestarum narratione plane neglecta (similiter ac Sallustius, eius imitator, in Iug. cap. 17, 18, 19) per digressionem tantummodo origines civitatum Italicarum, gentium mores et instituta, locorum situm, naturam, proventus accurate exposuisse videtur. Nam Niebuhrii, Wageneri, aliorum virorum doctissimorum iudicia, qui contendunt, Catonem ut libro I res gestas regum Romanorum, ita libris II et III res inde a regibus exactis usque ad bellum Punicum primum narrasse et in rebus gestis exponendis, ubi quid de originibus urbium et gentium in Romanorum dicionem redactarum vel de aliis rebus geographicis memoratu dignum occurreret, intexuisse, quum multis argumentis (cf. Peter p. CXXXII), tum ea re refellitur, quod ne unum quidem e librorum illorum duorum fragmentis prope quinquaginta servatum est, quod ad memoriam rerum a populo Romano gestarum spectet. Atque si quis dixerit, salva Catonis constantia fieri non potuisse, ut ille libro primo res regum Romanorum narraret, tum vero, rebus inde a regibus expulsis usque ad bellum Punicum primum silentio praetermissis, libro quarto bellum Punicum primum, reliquis, quae sequerentur bella, exponeret, quid obstat, quin statuamus, libri quarti initio Catonem rerum a regibus expulsis gestarum narrationem continuasse, neque accuratius Nepotem argumentum libri quarti distinxisse quam libri primi, cuius bona pars res ante Romam conditam gestas complectitur, quamquam illum tantummodo „res gestas regum populi Romani“ continuisse Nepos confirmat? Atque ut libris II et III tantummodo res geographicas et ethnographicas exponeret, ea re adductus esse videtur, ne in insequentibus originum libris saepius, ut res illas insereret, ab ordine rerum declinare cogeretur. Nam quum libro primo, quo regum Romanorum tantummodo res tractabat, paucis deverticulis opus esset, eo pluribus uti necesse erat, quo latius patentis res gestas imperii Romani describebat. Sed utut haec res sese habet, illud quidem certum est, in nullo libro Catonem regionum descriptioni maiorem locum tribuisse quam in secundo et tertio. Velut libro secundo, quum eum ordinem institueret, ut ex septentrione ad meridiem descenderet, primum de Ligurum et Gallorum (Orobiorum, Salassiorum, Cenomanorum, Venetorum, Insubrum, Boiorum) originibus, moribus, vitis, de Alpium natura (Iord. fr. 7), de Galliae proventibus (fr. 10, 11, 12) egit, deinde de gentium Italiam superiorem incolentium (Etruscorum, Marsorum, Paelignorum, Marrucinorum, Latinorum) principiis, moribus, proventibus, tum libro tertio de Italiae inferioris originibus et natura, de fluviis et frugibus (fr. 6) disseruit.



Sed a ratione, quam in libris secundo et tertio iniit, ne in reliquis quidem libris discedens libro primo Aboriginum (fr. 3), Sabinorum (fr. 6), Albae longae (fr. 13 et 14), Romae, Antemnae (25) origines, luci Capenatis naturam (26), in libro quarto Poenorum mores et instituta (2, 3, 5, 6) recensuit. In libro quinto

Cato Naronis fluvii Illyrici mentionem fecit (fr. 9), in septimo, quaecunque in Hispania eiusque incolis memorabilia et singularia videbantur. Nam fragm. 5 „ferrarias, argentifodinas“ Hispaniae, „montem ex sale mero“, „ventum Cercium“ laudat, fr. 4 Hiberi fluvii fontes et naturam, fr. 8, 9, 10 mulierum luxuriae instrumenta latius exponit.

Sed quid plura? Ubicunque in rebus gestis enarrandis populus vel terra se offerebat, Cato instituta et mores gentium, regionum situm naturamque accurate exponit. Atque in hac re Catonis exemplum Sallustium secutum esse, pro certo habeo, praesertim quum nemo, qui ante Sallustium historiam scripsit, eam disserendi viam, quam Cato, ingressus sit.

Quod autem Deltour (p. 52, [56, 68]) summam Sallustii in describendis praeclarorum virorum moribus et ingeniis artem ad Catonis imitationem refert, mihi minime probabile videtur. Quum enim Catonem originibus suis nomina imperatorum detraxisse Nepotis et Plinii (nat. hist. 8, 5) testimoniis constet, vix fieri potuit, ut in describendis virorum ingeniis et moribus diutius versaretur. Atque ne iis quidem locis, quibus ad viros describendos adducitur, artis illius speciem invenio, qua Sallustius virorum et mulierum mores, ut Catilinae (Cat. 5), Curii (Cat. 23), Semproniae (25), Caesaris, Catonis (54), Masinissae (Iug. 6), Marii (Iug. 63), Sullae (Iug. 95), Pompeii (fr. inc. 41), expressit. Quapropter Sallustium in hac re potius Thucydidis vestigia secutum esse arbitror, cuius virtus in eo maxime cernitur, quod summa arte summoque acumine virorum excellentium mores, virtutes, ingenia celebrat.

Sed satis de hoc. Venio ad **sententiarum imitationem.** Magnam Sallustium copiam sententiarum ex Catonis scriptis repetivisse fragmenta Catonis perpauca docent, ex quibus nonnulla paene ad verbum translata sunt. Velut in Catonis oratione contra Ser. Galbam (Iord. p. 27, 1) haec verba exstant: „Multa me dehortata sunt huc prodire, anni aetas vox, vires senectus: verum enimvero quum tantam rem peragier arbitrarer . . . .“, quam sententiam Sallustius Iug. 31, 1 expressit, ubi ita Memmium loquentem facit: „Multa me dehortantur a vobis, Quirites, ni studium rei publicae omnia superet: opes factionis, vostra patientia, ius nullum, ac maxume, quod innocentiae plus periculi quam honoris est.“

In eadem Memmii oratione paulo infra (§. 11) Sallustius



verba: „Servi aere parati iniusta imperia dominorum non pertulerunt: vos, Quirites, imperio nati, aequo animo servitutem toleratis?“ ex Catonis oratione in Minucium Thermum de falsis pugnis conscripta transtulit (Iord. p. 41, 11): „Servi iniurias nimis aegre ferunt. quid illos bono genere natos, magna virtute praeditos opinamini animi habuisse atque habituros, dum viverent?“

Quodsi respicimus ad Sallustii orationem illam (Iug. 85), quam *Mario* tribuit, nonnulla invenimus, quae similiter expressa sunt in Catonis orationibus. Ita principium statim orationis Marii: „Scio ego, Quirites“ ad Catonis similitudinem finxit, qui saepius orationes verbo: „scio“ incipit, ut orationes „de consulatu suo“ (Iord. p. 33, 1), „pro Rhodiensibus“ habitas (Iord. p. 21, 8), „ad litis censorias“ (p. 51, 4), „de re militari“ (p. 80, 7). Deinde Sallustius, ut Cato, rempublicam capessere periculosum et asperum esse praedicat. Velut Sallustius 85, 3 dicit: „Neque me fallit, quantum cum maxumo vestro beneficio negoti sustineam. Bellum parare simul et aerario parcere, cogere ad militiam eos, quos nolis offendere, domi forisque omnia curare et ea agere inter invidos ... factiosos, opinione, Quirites, asperius est“ atque Cato (Iord. p. 33): „Scio ego atque iam pridem cognovi atque intellexi atque arbitror, rempublicam curare industrie summum periculum esse.“ Tum sententiam a Catone (Iord. p. 53, 8) prolatam: „summae gloriae esse a virtute proficiscentia“ similiter Sallustius tractavit Iug. 85, 4: „Mihi spes omnes in memet sitae, quas necesse est virtute et innocentia tutari, nam alia inferiora sunt“ (cf. Cat. 1, 4: „virtus clara aeternaque habetur“).

Tum Catonis verba in „censura de vestitu et vehiculis“ (Iord. p. 50, 6): „Nam periniurium siet, cum mihi ob eos mores, quos prius habui, honos detur, ubi datus est, tum uti eos mutem atque alii modi sim“ respondent his verbis Sallustianis (Iug. 85, 8): „Quae ante vostra beneficia gratuito faciebam, ea uti accepta mercede deseram, non est consilium, Quirites.“

Denique ut Cato (Iord. p. 72, 18) se vitam suam laboriose et operose degisse et simplicitatem semper exercuisse, ita etiam Marius se rusticum sanctimoniae et simplicitati studuisse (Iug. 85, 39) atque per pericula et labores aetatem peregisse (Iug. 85, 7 et 33) gloriatur. Qua in re imprimis haec Catonis verba compares velim, quae exstant Iord. p. 72, 23: „Mihi neque pretiosus

servus neque ancilla“ cum Sall. Iug. 85, 39: „neque pluris preti cocum quam vilicum habeo.“

Sed non modo Memmii et Marii orationes redolent Catonis ingenium, quamvis in illis praecipue summa arte et summo mentis acumine Sallustius Catonem imitando effinxerit, ut aetatis suae hominibus antiquitatis et morum proborum atque incorruptorum speculum praeberet. Etiam aliis locis sententiarum similitudo apparet.

Velut uterque mores incorruptos maiorum summis laudibus efferens luxuriam et sumptus suarum aetatum hominum acriter castigat (cf. Cato Iord. p. 55, 9; 69, 2; 83, 2 et Sall. Cat. 6, 7; 13, 1; 12, 13; 36, 4 et 5). Uterque iterum ac saepius homines rebus secundis efferri et superbia corrumpi queritur. Velut Cato in orat. pro Rhod. habita haec verba profert (Iord. p. 21, 8): „Scio solere plerisque hominibus rebus secundis atque prolixis atque prosperis animum excellere atque superbiam atque ferociam augescere atque crescere“ et paulo infra (p. 22, 6): „secundae res laetitia transvorsum trudere solent a recte consulendo atque intelligendo“ et alio loco (Iord. p. 51, 4): „Scio fortunas secundas neglegentiam prendere solere.“ Eodem modo Sallustius Cat. 11, 8 docet: „quippe secundae res sapientium animos fatigant“ et Iug. 41, 3: „Scilicet ea, quae secundae res amant, lascivia atque superbia incessere“ et fragm. I, 10: „discordia et avaritia atque ambitio et cetera secundis rebus sueta mala“ et Cat. 52, 9: „Opulentia neglegentiam tolerabat.“

Postremo Sallustium similiter ac Catonem hanc sententiam in literas rettulisse: „omnes omnium virtutes tantas esse, quantas videri voluerint eorum ingenia, qui unius cuiusque facta descripserint“ Vopiscus in vita Probi I annotat. Quam sententiam apud Sallustium Cat. 8, 4 repertam Cato in originum libro tertio expressisse videtur, ubi Caedicii illius tribuni virtutem celebrat. Illo enim loco (Iord. p. 19, 15) dicit, Leonidae Laconis gloriam pluris aestimatam esse quam Caedicii, cui, quamquam similia fecisset, parva laus pro factis relicta esset; ubi addit verba: „sed idem bene factum, quo in loco ponas, nimium interest.“

Hae fere sunt sententiae, quas Sallustius ex Catonis scriptis mutuatus mihi esse videtur. Quarum quamvis Deltour complures afferat, tamen alias huc pertinere eum fugit, alias ipsum immerito ad Catonis imitationem referre quisque intelleget, qui ea, quae exposuit, legerit.



Iam vero restat, ut exquiramus, num etiam **in rebus gestis** conscribendis Sallustius Catonis vestigia legerit. Sed priusquam ad res historicas pergamus, de prooemiis illis praeclarissimis, quibus Cato et Sallustius usi sunt, pauca addere liceat.

Inter Catonis originum fragmenta duo exstant, ex quibus, quae prooemium continuerit, colligi potest. Quum enim in altero scriptum sit: „si queis homines sunt, quos delectat populi Romani res gestas describere,“ in altero, quod Cicero pro Plancio 27, 66 tradidit: „clarorum virorum atque magnorum non minus otii quam negotii rationem exstare oportere,“ apparet, Catonem in principio operis sui rationem reddidisse, cur ad scribendam memoriam se contulisset, et utilitatem historiae commendasse (id quod praeterea testatur locus, quem Peter fr. 3 affert: „historiae bonum generaliter commendamus, ut Cato“). Eodem modo Sallustius versatus est non solum in Catilinae (cf. imprimis 3, 1 et 2; 4, 1 et 2), sed etiam in Iugurthae exordiis (cf. 2; 3 et praecipue 4, 1—3, quo loco, quum multos iam de historiae conscribendae virtute et utilitate dixisse memoret, praecipue Catonem intellexisse videtur), quare Sallustium etiam in hac re Catonem imitatum esse Iordan, Peter, omnes fere consentiunt.

Sed difficilior res fit in investigando, quatenus Cato Sallustium imitatorem habuerit in rerum gestarum narratione.

Quum vero Cato res populi Romani ab Aeneae adventu in Italiam et a primordio urbis Romae usque ad praeturam Serv. Galbae describeret, Sallustius, qui tempora illis posteriora persecutus est, ex illius scriptis ea tantummodo haurire potuit, quae obiter ad priora illa tempora spectant. Atque quum Sallustius in libro de Catilinae coniuratione, priusquam ad propositum ipsum accedat, paucis res populi Romani a temporibus, quae luce historiae carent, usque ad bellum Catilinarium perstringat, multi viri docti in his enarrandis illum Catonem secutum esse arbitrantur. Tamen ne in his quidem Sallustium a Catone pendere apparebit, si accuratius rem persecuti erimus.

Nam quamquam Servius ad Verg. Aen. I, 6 testatur, Sallustium vestigia Catonis legisse narrantis: „primo Italiam tenuisse quosdam, qui appellabantur Aborigines; hos postea adventu Aeneae Phrygibus iunctos Latinos uno nomine nuncupatos,“ neque

ullius alius veteris historici fragmenta quidquam de Aboriginibus tradunt, tamen Servii iudicium multas cautiones habet atque re diligenter exquisita pravum videtur. Etenim praeterquam quod Dionysius (I, 11; 13; 14) non modo Catonem, sed etiam Sempronium et multos illustrissimorum rerum scriptorum (ut Varronem) de Aboriginum gente scripsisse refert, Sallustius in ipsis rebus enarrandis a Catone plane dissentit. Quum enim Cato, qui fusius et copiosius primo originum libro exponit, quas res Aeneas post adventum in Italiam, deinde Ascanius, tum posteri eius gesserint, et quomodo Romam condiderint, permultum tempus inter Troiae excidium et urbem Romam conditam intercessisse commemoret, qua in re plurimi rerum gestarum auctores ei assentiri videntur, contra Sallustius a sententia a plurimis de urbe condita prolata valde recedens eorum opinionem probat, qui Romam antiquissimis illis temporibus statim post adventum Aeneae conditam esse (Cat. 6, 1) arbitrantur.

Quare ne in hac quidem re Sallustius Catonis auctoritatem secutus est. Quem autem ducem elegerit, vix discerni potest. Si verum est Hertzbergii iudicium, qui (de diis Rom. patr. p. 37) Cassium Heminam Romam paulo post Troiam eversam conditam esse tradidisse coniecit, haud improbabile videtur, Sallustium Cassii vestigia legisse. Alii vero, ut Gerlach, scriptorem nostrum in eo pendere ab exemplo Attei Philologi contendunt, cui mandaverat, ut breviarium rerum gestarum Romanarum ex historicorum scriptis congereret. Sed nescio an Sallustius in hac re potius ad Sisennianos fontes redierit, quamquam ne hoc quidem certis testimoniis confirmari potest.

Utut res sese habet, hoc quidem constat, Sallustium a Catone in his rebus enarrandis non pendere. Atque quum Sallustius praeterea nusquam res tractet, quas Cato illustrandas sibi sumpsit, unumquemque mecum consensurum puto, Sallustio in rerum narratione nil cum Catone commune esse.

Quibus expositis quum ad finem quaestionis de Sallustio, Catonis imitatore, pervenerim, demonstrasse mihi videor, non modo ad grammaticas res et ad vocabula, sed etiam ad sententias et ad historiae scribendae rationem Catonis propriam imitationem illam pertinere.

Sed haec de iis, quae mihi Catonis libros perlustranti occurrerunt. Iam convertimus ad alium scriptorem Romanum, qui dignissimus videbatur, quem Sallustius imitando exprimeret.



### A. Quibus in rebus Sallustius ad Sisennae exemplum sese applicaverit, exponitur.

Paucitate fragmentorum eorumque maxime mutilatorum impediti quum satis perspicere non potuerimus, quid in Sallustii scriptis ad Catonis imitationem referendum esset, in rem multo difficiliorem incidimus, si, quibus in rebus Sallustius Sisennam et alios veteres rerum scriptores duces elegerit, quaerimus. Nam Sisennae historiarum primum quidem multo pauciora quam Originum Catonis fragmenta servata sunt et ea quidem omnia grammaticorum, nullum historicorum studiis debentur, ut ne ullum quidem exstet, quo continua narratio contineatur. Accedit huc, quod veteres, ut passim, qua in re Sallustius Catonem effinxerit, annotant, ita, num et qua in re aliorum scriptorum vestigia expresserit, silent. Quare in exquirendo, num Sallustius Sisennae scripta multum ante oculos habuerit et simili modo ac Catonis scripta expresserit, quum difficultatibus undique obsitos nos videamus, tamen non desunt, quae promittant, nos non plane in tenebris versari. Argumenta enim quaedam exstant, quae ad imitationem Sisennae comprobandam tantopere pertinent, ut vix negari possit, Sallustium nonnulla ex illius scriptis recepisse. Sed priusquam ad argumenta ipsa transeamus, pauca de Sisennae genere dicendi afferamus, quibus illum dignum videri, qui exprimatur, demonstremus.

Inter eos scriptores, qui post Catonem usque ad Sallustii aetatem annales condiderunt, Sisenna praestantissimus fuit, quamvis ne is quidem exili atque ieiuna rerum gestarum exponendarum ratione relicta ad elegantem rerum expositionem pervenerit. Nam non modo Cicero eximias laudes ei tribuit atque in historia conscribenda palmam adiudicavit, sed etiam Sallustium auctorem illum summis in deliciis habuisse locus in bello Iug. (95, 2) testimonio est, ubi ille verba profert: „L. Sisenna optume et diligentissume omnium, qui eas res dixere, persecutus parum mihi libero ore locutus videtur," quocum iudicio concinit Fronto, qui (epist. ad Ver. I, p. 114 N.) copiosissime eum res gestas conscripsisse testatur. Praeterea quanta in historia scribenda

gloria floruerit, hac re comprobatur, quod Varro libro de historia composito nomen „Sisennae“ indidit.

Haec sunt iudicia veterum de Sisenna prolata, dignissima, quae commemorentur. Nam posteriores scriptores, qui Sisennam citaverint atque excerpserint, in medium proferre supervacaneum puto, quia illos tantummodo propter insolentiora verba et flexiones atque propter vetustum dicendi genus eum adamasse apertum est. Sed ne recentiorum saeculorum iudicia silentio praetermittamus, trium tantummodo virorum mentionem facere liceat, qui accurata doctrina praediti ad literarum Romanarum studium sese accommodaverunt. Primum quidem Vossius de hist. lat. I, 43 verba profert: „omnes historicos, qui ante se fuere, vicit, quae etiam causa est, cur Varro librum suum de historia inscripserit: Sisennam. Erat tamen, quod in dictione eius requiri possit;“ deinde Bernhardy in libro de lit. Rom. conscripto p. 232: „Erſt L. Cornelius Sisenna bekam den Ruf eines lesbaren Hiſtorikers und galt für die Spitze der älteren Römiſchen Geſchichtsſchreibung.“ Multa etiam sunt, quae apud Baehrium de Sisenna exstant (II. p. 42): „Sein Werk übertraf durch hiſtoriſche und rhetoriſche Kunſt die früheren Verſuche der Art bei weitem.“

Ne nimis longi simus in verbis virorum doctissimorum commemorandis, illa pauca attulisse sufficiat atque iam reditum parare liceat ad iudicium a Sallustio prolatum, ex quo colligi potest, scriptorem nostrum Sisennam lectitasse. Illo enim loco Sallustius eum tantis laudibus effert, ut eum optime et diligentissime omnium, qui tempora Sullana persequerentur, scripsisse praedicet, tametsi ei vitio vertit, quod non sine ira et studio scripserit, quod iudicium fragm. I, 57 repetit. Hoc enim loco, si Kritzio fidem habere licet, eos scriptores, qui „per invidiam“ gloriam Sertorii celaverant, quum Sullam tum Sisennam intelligit. Num praeterea Sallustius Sisennae mentionem fecerit fr. I, 4, id quod Kritz suspicatur neque Dietsch improbat, res neque plane certa neque ita magni nobis momenti est.

Sed Sallustium non modo multum lectitasse Sisennam, verum etiam valde coluisse ea re demonstratur, quod primum quidem in componendo de bello Iugurthino libro eum fontem adhibuit (id quod nemo negabit, qui illum belli Iug. locum legerit), deinde quod in „historiis“ conscribendis in animo habuit, Sisennae opus de bello Marsico compositum continuare, quamquam de hac qui-



dem re viri docti diversis opinionibus disceptarunt. Ac primum quidem Kritz, qui de Sallustii scriptis emendandis et explicandis optime meruit, in praef. ad fragm. p. XVII, si breviter comprehendere velis eius verba ibi proposita, contendit, demonstrare verba illa Iug. 95, 2 prolata, Sallustio valde displicuisse Sisennae scribendi rationem itaque eius opus indignum ei visum esse, quod continuaret; quacum sententia consentit Peter (p. CCCXXX). Alii vero nec ii pauci summam in literis Romanis laudem assecuti operam dederunt, ut demonstrarent, Sallustium Sisennae scripta continuare in animum induxisse, in quo numero Gerlach (Sall. Vol. III p. 48), Bernhardy (p. 235: „Es kann kein Zufall heißen, daß Salluſt ſeine Hiſtorien dort anhob, wo Siſenna ſein Werk über Sulla ſchloß“), Teuffel sunt („Historiae, ihrem Stoffe nach thatſächlich eine Fortſetzung des Werkes von Siſenna“), quorum iudicia duabus de causis probanda esse arbitror. Nam primum quidem Sisennam historias usque ad Sullae mortem perduxisse, ut Petri (p. CCCXXX) accurata expositione comprobatur, ita Sallustium historiarum suarum initium fecisse ab anno 78, quo Sulla mortuus est, satis constat. Accedit huc, quod, ut iam supra diximus, Sisenna inter eos, qui ante Sallustium res populi Romani conscripsere, maximam laudem assecutus est et a Sallustio pro praestantissimo rerum Sullanarum scriptore habetur. Nam quamvis Sallustius eum vituperet, quod parum libero ore locutus sit, tamen non video, quomodo verba Iug. 95, 2 posita tantae vituperationis causam praebeant, ut Kritz (hist. fr. p. XVII) Sallustio „veritatis studiosissimo“ Sisennae scripta plane displicuisse contendat. Quid quod Kritz sibi ipse non constitit? Quum enim Sallustium fragm. I, 2 et inc. 44 Catoni idem opprobrium ac Sisennae obiecisse atque veritatis studium abrogasse moneat, nonne ipse Sallustium Catonem tanta admiratione amplexum esse arbitratur, ut oratione eleganti et ornata spreta eius dicendi genus et totam fere orationis conformationem imitaretur (cf. edit. Sall. 1856 p. 19, edit. 1853 fr. I, 2)? Quare tantum abest, ut Sallustio Sisennae opus plane displicuisse censeamus, ut contra clarissimam inter superiorum rerum gestarum scriptorum historias ei visam esse contendamus. Atque etiamsi partium studium Sisennae Sallustium offendebat, nonne ea ipsa re adducimur, ut putemus, Sallustium in historiarum prooemio tempora a Sisenna descripta breviter attigisse, ut laudem Sullae ab illo ad coelum sublati restrin-

geret, atque ipsas res belli domique post Sullae mortem gestas persecutum Sisennae opus continuasse, ut illi historias opponeret, quibus sine ira et studio res pertexeret neque bona partis adversae sileret?

Quibus omnibus rite ponderatis dubium non est, quin Sallustius Sisennae historias magni aestimaverit et diligenter lectitaverit. Atque hoc concesso quis est, qui neget, Sallustium ex illius dicendi genere sibi nonnulla vindicasse et in usum suum convertisse, praesertim quum Sisenna vetustatis colorem valde amaret?

Quibus praemissis quaestionem instituamus, quibus in rebus Sallustius Sisennae historias imitatus sit, atque eandem viam, quam in priore disquisitionis parte, ingredientes primum, quid in grammaticis rebus et in verborum usu, tum, quid in rebus enarrandis ex eius scriptis mutuatus sit, exponamus.

Sisennam cum vocibus *„patres,“ „matres“* semper genetivum pluralis *„familiarum,“* non singularis „familias“ conjunxisse a Varrone (L. L. 8, 38 Sp.) confirmatur. Accedit huc, quod Charisius (I, p. 107 et 120 K.) testatur, ipsum Sisennam censuisse, „eum, qui diceret ‚pater familiae,‘ etiam pluraliter dicere debere ‚patres familiarum‘ et ‚matres familiarum‘“. Atque quamvis Cicero, Columella, Suetonius, alii praecepta Sisennae haud aspernati sint, tamen alteram structuram „patres, matres familias“ apud eosdem haud minus in usu fuisse Neue (I, 8) demonstrat. Sallustius autem, quum cum „filii“ (Cat. 43, 2) et „matres“ (51, 9) tantummodo „familiarum“ conjungat, in hoc usu morem atque legem Sisennae secutus, atque in hac re Tacitus Sallustium imitatus esse videtur (cf. annal. I, 26; III, 8; XI, 13).

Num Sallustius in usu verbi *potiri*, quod fragm. inc. 91 *cum accusativo* conjungit, Sisennam imitatus sit, pro certo affirmari nequit, quum insolens accusativi cum illo verbo conjuncti usus apud antiquiores scriptores haud infrequens fuerit (cf. Zumpt gramm. lat. §. 466). Attamen, quandoquidem Sisenna duobus locis accusativum illi verbo, nusquam ablativum subjungit, haud improbabile videtur, scriptorem nostrum eum verbi usum ex Sisennae scriptis hausisse.

Praeterea Sallustium in frequenti *adverbiorum in „im“ exeuntium* usu (praeter usitatas voces: „paulatim, statim, interim, partim“ haec fere exempla inveni: Cat. 4, 2 „carptim,“ 49, 4 „singulatim“ (et Iug. 42, 5), Cat. 52, 23 „separatim,“ Iug. 4, 7 et fragm. I, 64 „furtim,“ Iug. 18, 3 et 98, 1 „passim,“ 43, 3 et 54, 6 „affatim,“ 49, 4 „viritim,“ 50, 5 „confertim,“ 67, 1 „certatim,“ 97, 4 „catervatim,“ 101, 4 „turmatim,“ (Iug. 114, 2 „illim“), frag. i. 67 „confestim“) Sisennam imitatum esse, quis est qui neget, si eius fragmenta diligenter perlegerit, in quibus non minus quam quatuordecim exempla eiusmodi adverbiorum reperiuntur: „iuxtim“ (fr. 3), „certatim“ (fr. 7 et 28), „manipulatim“ (fr. 31), „vicatim“ (47), „festinatim“ (65), „dubitatim“ (75), „enixim“ (110), „praefestinatim“ (117), „celatim“ (126), „vellicatim,“ „saltuatim“ (127), „passim“ (134), „cursim,“ „properatim“ (137). Atque tametsi antiquiores scriptores (imprimis Pompon. Bonon.) et eorum imitatores (cf. Neue II, p. 506) saepius talibus vocibus usi sunt, nemo tamen omnium cum Sisenna comparari potest, qui adverbia in „im“ desinentia tantopere amabat.



Inter vocabula, quae Sallustius ex Sisennae historiis arripuit, primum *„mortales“* commemorandum est, quod Deltour (p. 19) et Laws (p. 8) scriptorem nostrum ex Catonis scriptis mutuatum esse censent, quamvis is bis tantummodo in eadem oratione (Iord. p. 41, 3 et 9) ita locutus sit. Quum illam vocem apud Caesarem nusquam, apud Ciceronem nisi additis verbis „multi“ vel „cuncti“ vel „omnes“ non reperiamus et historicorum (praeter Sisennam) fragmentorum uno tantummodo loco ibique eodem modo cum „multi“ conjunctam (Claud. fr. 76), apparet, Sallustium, qui persaepe „mortales“ sine additis verbis „multi, omnes“ adhibet, (Cat. 1, 5; 6, 3; 12, 3; 20, 11; 33, 4; 36, 4; 51, 11. 20; Iug. 1, 3; 2, 4; 6, 3; 10, 2; 17, 7; 41, 1; fragm. I, 61; II, 27; 29, 2; III, 82, 24) ab usitato loquendi usu recessisse. Et quum Sisennam ei in usu illo minus trito praeisse fr. 123 demonstret: „Utrumne divi cultu erga se mortalium laetiscant,“ non a vero me aberrare puto, si Sallustium in hac re Sisennam effinxisse censeam.

Illi voci addendum est verbum obsoletum *„occipere,“* quo Sallustius fragm. III, 86, Sisenna summo cum studio utitur, ita ut in paucis fragmentis, verbo „incipere“ plane neglecto, bis legatur (fr. 25 et 104). Quod verbum a comicis frequentatum nonnunquam ut apud Lucretium, Livium, Tacitum, sic apud veteres historicos (Calp. Piso fr. 36, quo tamen loco certis libris non

nititur), apud nullum tamen tam frequenter reperitur, quam apud Sisennam, quapropter haud dubito, Sallustio illius imitandi studium tribuere.

Praeterea alia nonnulla Sallustium ex Sisennae historiis deprompsisse, quamvis vix negare possimus, tamen in fragmentorum paucitate plura afferre nequimus. Restat igitur, ut afferam, quae in rebus enarrandis Sallustius ad Sisennae exemplum conformasse mihi videatur. Sisennam in historiis exorsum a Troia diruta et a primordio urbis primo libro breviter res populi Romani usque ad bellum Marsicum perstrinxisse et eodem modo, quo Sallustium, explicuisse, quomodo respublica condita, agris, civibus, moribus aucta paullatim cupidine pecuniae et imperii inflata in luxuriem, ambitionem, avaritiam se convertisset et moribus corruptis ad interitum ruisset, Roth, vir doctissimus, monuit, Gerlach, Teuffel, Peter probarunt. Atque Riesium, qui (Feſtſchrift zur Begrüßung der 24. Verſammlung deutſcher Philologen zu Heidelberg 1865, p. 56) tale prooemium Sisenna plane indignum ratus scriptorem initium fecisse a bello Marsico opinatur, temere iudicasse Peter (p. CCCXXVIII) sagaciter et acute confirmat. Prius enim argumentum, quod Riese affert, fieri non potuisse, ut Sisenna descriptionem belli illius Marsici optimatium avaritia et superbia nobilitatis conflati tali prooemio exornaret, Peter his verbis refutat (p. CCCXXVIII): „si tum culpa belli ad optimates vulgo conferebatur, haec ipsa Sisennae causa esse potuit, ut ex rebus, quae antecedebant, hanc opinionem falsam esse demonstraret altiusque res repeteret.“ Atque si praeterea Riese contendit, Sisennam praeter historias peculiarem librum „ab urbe condita,“ quo nomine Nonius opus Sisennae fr. 3 citavisset, composuisse, ex quo Nonius fr. 1—4 sumsisset, primum quidem ipse Sisenna „historiarum“ librum primum propter res, quae in eo continebantur, sic appellare potuit, deinde vero ne Nonium quidem plane sibi constitisse in scriptionibus afferendis libri Cassii Heminae docent, quos ille sexies (9, 10, 16, 21, 34, 35) „historiarum,“ aliis locis (24, 28, 33, 36) „annalium“ nomine laudat, atque similiter Licinii Macri opus, quod Nonius fr. 6, 21: „annales“ inscribit, fr. 23: „res Romanae.“ His igitur ponderatis quid est cur dubitemus, quin Sisenna res ab urbe condita usque ad bellum Marsicum primo libro breviter perstrinxerit atque in hac re Sallustius Sisennae exemplum secutus sit, praesertim quum nemo



veterum historicorum similiter ac Sisenna egerit? Nam illorum scriptorum alii copiosissime origine urbis et quae insequebantur temporibus descriptis res usque ad suam aetatem pertexebant, alii illa via relicta breve tantummodo temporis spatium eligebant, quod accurate et diligenter describebant. Atque si vera sunt, quae conieci, verisimile videtur, Sallustium etiam in hac re ad fontes Sisennianos rediisse, quod Romam paulo post Aeneae adventum conditam esse censet.

Haec sunt, quae de Sallustio Sisennae imitatore afferri posse mihi videntur. Atque si, quae Sallustius ab illo mutuatus sit, in memoriam revocare licet, apparet, ei in rebus grammaticis, in vocabulorum usu, in rebus enarratis nonnulla cum Sisenna communia esse.

His absolutis restat, ut de vestigiis reliquorum historicorum Romanorum veterum in Sallustii scriptis paucis disseram. Sed quoniam neque quisquam veterum scriptorum nobis tradidit, quem Sallustius praeter Catonem imitatus sit, neque Sallustius aliorum nisi Catonis et Sisennae pluribus mentionem fecit neque historicorum illorum fragmenta ita constituta sunt, ut aliquid certi definiri possit, veniam me impetraturum puto, si supersedeam exquirere, quem maxime praeter Catonem et Sisennam Sallustius expresserit, atque statim ad alterum commentationis caput transeam, quo exponendum erit, quae Sallustius in dicendi genere non a singulis rerum scriptoribus, sed omnino ex sermone antiquiorum proprio arripuerit.

## Caput II.

**Quae in universum in Sallustii dicendi genere ad morem antiquorum rerum scriptorum conformata sint, exponitur.**

Sallustii antiquum scribendi genus praecipue ab ea re profectum esse, quod summa admiratione antiquitatem amplexus, taedio rerum praesentium captus ipsam tersam et mollem aequalium orationem ut speculum morum perditorum aspernaretur et antiquorum rerum scriptorum, imprimis Catonis libris evolvendis proprium eorum dicendi genus sibi vindicaret, ut iam supra commemoravimus, ita nunc repetendum puto, ut demonstrem, quae

in Sallustii scriptis antiquo more dicta reperiantur, ad antiquos potissimum historicos spectare. Nam tametsi multa, quae Sallustio cum antiquis rerum scriptoribus communia sunt, etiam apud comicos veteres et alios priscos auctores reperiuntur, tamen noli tibi persuadere, eorum ipsorum dicendi genera multum valuisse ad formandum Sallustii sermonem.

In exponendis archaismis quum accurate versatus sit Schultze, valde doleo, quod eius commentationem proxime demum in manus accepi. Attamen illa multis in rebus magno usui mihi fuit atque effecit, ut commentationem meam quasi amputare possem neque pluribus quum aliorum tum Gerlachii explanationes aliqua ex parte egregiis Kritzii, Fabrii, Dietschii studiis dilutas refellere cogerer. Gerlach enim archaismos ita augebat, ut, ubicunque aliquid inveniret, quod Sallustio non cum Cicerone commune esset in dicendi genere, eum antiquos scriptores imitatum esse censeret. Sed quamquam accurate et diligenter Schultze eam rem exquisivit, tamen nonnulla eum fugerunt, quae memoratu digna mihi videntur.

His praemissis ad propositum ipsum accedamus ac primum quidem de orthographia, quam dicunt, nonnulla afferamus, in quibus scriptorem nostrum priscae orationis vestigiis institisse interpretes opinati sunt.

### A. De orthographia.

Formas apud Sallustium frequentissimas: *„lubet,“ „lubido,“ „aestumo,“ „existumo,“ „legitumus,“ „lacrumae,“* in quibus postea „i“ litera pro „u“ in usu fuit, antiquiori sermoni proprias esse Gerlach, Kritz (praefat ad Cat. p. XII, XIII) Fabri (Cat. 1, 1) consentiunt, dissentiunt autem de usu *superlativi* formae in „umus“ exeuntis, quam Gerlach, Kritz, Dietsch (Iug. 31, 12) antiquiorem esse pro certo affirmant, Fabri negat, quo iure, nescio. Quorum omnium sententiis plane diversa est Deltourii (p. 12), qui monet, apud aureae aetatis scriptores omnes illas formas reperiri. Atque quamquam in codicibus optimorum scriptorum saepius litera „u“ reperitur, tamen quum grammatici doceant, Caesarem et Ciceronem eiusmodi verba per „i“ solitos esse enuntiare et scribere (cf. Corssen, über Aussp., Vocalismus und Betonung der lat. Sprache p. 336), atque alteram formam in „u“ antiquiorem fuisse et paullatim in „i“ extenuatam esse ex saga-



cissima Corssenii disputatione (I, p. 331—340) appareat, nemo negabit, Sallustium, qui in verbis supra laudatis „u“ litera pro „i“ summo studio utitur, morem antiquiorum scriptorum secutum esse. Idem de formis *gerundii* et *gerundivi* in „undum“ et „undus“ exeuntibus iudicandum est, quamquam eas omnibus aetatibus atque antiquissimis temporibus promiscue cum „endum“ forma usitatas fuisse Corssen animadvertit (II, p. 182). Quum enim forma in „undum“ exiens posterioribus temporibus ut in titulis, sic apud scriptores (imprimis apud Caesarem, Ciceronem, Livium) multo rarius quam altera in „endum“ desinens, apud Sallustium autem inter omnes aureae aetatis auctores creberrime reperiatur, haud a vero aberrare mihi videor, si illas formas Sallustium, ut antiquiorem colorem orationi tribueret, tam saepe usurpasse statuam. Atque eadem de causa Sallustium formas: *„voltus,“ „volgus,“ „volnus,“ „iocundus,“ „vorto,“ „voster,“ „advorsus,“ divorsus“* etc. amasse Gerlachio, Fabrio, Dietschio (Iug. 85, 41) assentior (cf. Corssen II, p. 86 sq.).

Formam *detractare* Sallustius nonnullis locis usitatiori „detrectare“ (Iug. 53, 8, fragm. III, 77, 2) praetulit, quia antiquior erat, id quod testatur Pierius ad Verg. Georg. III, 57 et ex recentioribus Corssen (II, p. 406). Atque eodem antiquitatis studio motus Sallustius formam *„ecferens“* Iug. 14, 11 scribere maluit quam „efferens“ (cf. Kritz et Fabri ad. l. c., Corssen I, p. 154).

### B. De grammaticis rebus.

Ut in orthographia, sic etiam in grammaticis rebus antiquitatem affectasse Sallustium hae quidem res demonstrant.

*„Forus“* masculino genere pro „forum“ scripsit Sallustius in historiarum fragm. I, 76, quam formam, quum Nonio teste (III, p. 140 Gerl.) etiam Lucilius (sat. lib. III) et Pomponius adhibuerint, antiquitatis amori dandam esse puto (cf. Neue I, p. 474).

In Sallustii scriptis nonnunquam reperiuntur vocabula *„volgus“* et *„vadus“* masculino genere dicta (Iug. 69, 2; 73, 5; fr. I, 68), quem usum ex priscorum scriptorum consuetudine repetitum esse Kritz recte contendit. Nam quamquam posteriores scriptores nonnunquam ita scripserunt (cf. Neue I, p. 679), tamen hunc usum antiquiori sermoni proprium fuisse (cf. Sis. fr. 48) veteres grammatici testantur (cf. Non. III, p. 156 Gerl.). Atque quod

Tacitus summo studio vocem „volgus“ masculino genere adhibuit, ad imitationem Sallustii pertinere mihi videtur.

*Terminationem tertiae declinationis: „os“* Sallustius multo saepius quam usitatam „or“ scripsit: „labos“: Cat. 7, 5; Iug. 100, 4; fr. II, 50, 1; III, 82, 18; „honos“: Cat. 20, 8; Iug. 3, 1; „colos“: Cat. 15, 5; „lepos“: Cat. 25, 5; „odos“: Iug. 44, 4, sine dubio, quia antiquior erat, id quod Neue I, p. 166, Reisig not. 33, Corssen I, p. 233 confirmant.

Formam pluralis *„vis“* pro *„vires“* Lucretium (II, 586 et III, 266) protulisse Priscianus (VI, p. 249 K.) et Probus cathol. II, 1, 40 (p. 1461, P.) comprobant. Praeterea etiam Messala (apud Macrob. Sat. I, 9, 14) ita scripsit et Sallustius, qui formam illam obsoletam usurpat fr. III, 84.

Pro „die“ Sallustium tribus locis *„diu“* scripsisse in structuris „diu noctuque,“ „noctu diuque“ (Iug. 38, 3; 44, 5; fr. II, 63) Fabri annotat, quibus addo Iug. 70, 1. Nam in usu formae illius, quae Iug. 38, 3 optimo codice, fr. II, 63 et Iug. 44, 5 grammaticorum testimonio munitur, Sallustium sibi constitisse Iug. 70, 1 verisimile mihi videtur, praesertim quum et hoc loco nonnulli codices „diu“ exhibeant. Formam autem illam, quam Tacitus ex Sallustio recepit (ann. XV, 12 et hist. II, 5), antiquissimis temporibus usitatam fuisse, ut apud Plautum et Titinium, Nonius (p. 68 Gerl.) testatur. cf. Doederlein syn. IV, p. 268: „In der andern Bedeutung („bei Tage“) iſt diu durch interdiu erſetzt worden. Doch pflegen diejenigen Schriftſteller, welche Neigung zur Archaismen haben, regelmäßig auch noch diu in dieſem Sinn zu ſetzen, wenn die Verbindung mit noctu ohnehin vor Zweideutigkeit ſchützt.“

Antiquioribus temporibus *quartae declinationis genetivum in „i“ exeuntem* usitatum fuisse ut iam Ruddimann (I, p. 103 not. 46), Fabri, Dietsch (Iug. 30, 3) contendunt, ita Corssen dilucida quaestione (II, p. 738) comprobat (cf. praeterea Buecheler, Grundriss d. lat. Decl. p. 31). Eiusmodi genetivorum exemplum apud Sallustium est: *„senati,“* quae forma, si Dietschio in hac re confidere licet, optimorum codicum auctoritate confirmatur: Iug. 22, 2; 25, 11; 28, 3; 31, 25; 38, 3; 40, 1; 43, 4; 112, 3; Cat. 30, 3; 36, 5; 42, 3; 51, 36; 53, 1. Quos locos si cum aliis, ubi genetivus „senatus“ legitur, comparaveris, invenies, posteriorem formam haud saepius a Sallustio quam priorem in „i“ exeuntem,



hanc autem in quibusdam terminis technicis („senati consultum, decretum, auctoritas“) adhibitam esse, qui ex antiquitate traditi etiam apud veteres historicos reperiuntur (Sisenn. fr. 17 et 119 „senati consulto“). Quare in his formis Sallustius antiquiorum rerum scriptorum morem secutus esse videtur. Idem de genetivo *„tumulti“* (Cat. 59, 5) censendum esse puto, quam formam apud Plautum, Terentium, Pomponium (cf. Non. VIII, p. 329), apud Ennium, Turpilium, Afranium (Non. VIII, p. 333) repertam Kritz, Fabri, Dietsch, alii, quia optimo illo codice Leid. L. et Nonii VIII, p. 329 testimonio nititur, in textum receperunt (cf. Ruddim. I, p. 103, 1).

In *quartae declinationis forma dativi contracta in „u“ desinente,* quam Sallustius nonnunquam adhibet, nil antiqui inesse nemo infitias ibit, qui grammaticorum veterum sententias a Nevio (I, p. 366) collectas et Reisigii (§. 71 not. 90), Corssenii (II, 740), Buecheleri (p. 56 sq.) luculentas disquisitiones legerit.

Neque aliter de *quintae declinationis forma genetivi contracta: „e“ pro „ei“* iudicandum est, quam haud semel apud Sallustium inventam („die,“ „requie,“ „acie“) nil offensionis habere, sed omnibus temporibus usitatam fuisse Priscianus (VII, 93, p. 366 et 94, p. 367) et Caesar (in libro de anal. II) testantur (cf. Gellius IX, 14, 25 Hertz). Quibuscum veterum opinionibus recentiores viri docti plane congruunt, ut Reisig (§. 73), Madvig (§. 48, A, 1), Zumpt (§. 85 A. 3), Buecheler (p. 35).

Sed ut genetivum, sic etiam *dativum* eiusdem declinationis *in „e“ exeuntem* immerito pro antiquo a Dietschio (Cat. 16, 3) habitum esse, ut „fide“ (Iug. 16, 3; 74, 1), Priscianus (l. c.) et Gellius (IX, 14, 21: „In casu autem dandi qui purissime locuti sunt, non ‚faciei,‘ uti nunc dicitur, sed ‚facie‘ dixerunt“) testimoniis sunt.

Mirum est, quod nonnulli viri docti, ut Kritz (Cat. 58, 16) et Zumpt (§. 133) pronominis relativi formam *dativi pluralis: „quis“* pro antiquiore habuerunt, in qua a Sallustio saepe adhibita (cf. Dietsch, Cat. 58, 16) nil obsoleti inest (cf. Neue II, p. 168 sq.).

Pronominis „nullus“ genetivum: *„nulli“* Sallustium Cat. 29, 3 et dativum: *„nullo“* Iug. 97, 3 scripsisse haud improbabile videri possit (cf. Krueger §. 236 not.), quum antiquiores esse illas formas Priscianus VI, p. 226 sq. testetur, nisi prior forma

illo loco plane abhorreret a legibus grammaticis (cf. Kritz et Fabri ad Cat. 29, 3), posterior integro sensu pro ablativo haberi posset. Nam contra Kritzii opinionem, qui Sallustio dativi formam antiquiorem „nullo“ tribuit, recte Fabri (quocum Neue II, 186, Dietsch, Jacobs consentiunt) sextum casum defendit exemplis ex Ciceronis usu loquendi repetitis (Att. X, 18, auct. ad Her. II, 11).

Inter praepositiones Sallustius summo studio *„per“ cum substantivis* iunctum pro adverbiis usurpat („per scelus,“ „per dedecus,“ „per dubitationem,“ „per fidem,“ per flagitia,“ „per fraudem,“ „per ignaviam,“ „per superbiam,“ „per iniuriam,“ „per ambitionem,“ „per insidias,“ „per licentiam,“ „per insolentiam,“ „per luxum atque ignaviam,“ „per mollitiem,“ „per turpitudinem,“ „per vim,“ „per virtutem“ etc.), qui usus aliis haud insolitus tamen apud nullum tam late patet quam apud nostrum scriptorem, ita ut suspicandi locus detur, Sallustium antiquorum historicorum consuetudinem secutum esse, qui ita loqui amarent. Nam non modo Catonis (orat. Iord. p. 37, 6 „per ambitionem;“ p. 38, 10 „per laborem;“ p. 38, 12 „per voluptatem;“ p. 41, 8 „per dedecus atque maximam contumeliam“), sed etiam Claudii (fr. 12 p. 211, 12 P. „per contemptum et superbiam“ et fr. 16 „per fallacias“) et Sisennae (fr. 116: „per sudorem“) hic usus proprius est.

Ut Lawsii iudicium, qui p. 7 structurae adverbii comparativi *„supra“* cum vocula *„quam“* (Iug. 24, Cat. 5) colorem antiquitatis inesse opinatur, pro vero haberemus, exempla illi afferenda erant. Nam mihi quidem nil antiqui illi usui inesse videtur, quum similia etiam apud Ciceronem legantur. Multo rectius illud iudicium ad adverbium comparativum *„iuxta“* cum praepositione *„cum“* connexum referendum puto, quam structuram rarissimam apud Sallustium Cat. 58, 5, praeterea Cortio auctore apud Plautum quater (Trin. I, 2, 160; Aulul. 4, 7, 1; Pseud. IV, 7, 62; Poenul. 47) reperies.

Eadem praeiudicata opinione Laws voces *„ad hoc,“* quas Sallustius frequentissime adhibet ad sententiam novam annectendam, antiqui sermonis vestigia habere censet, quamquam illas a Livio posterioribusque haud raro usurpatas veteres historici plane neglexerunt.

Insolentem superlativi formam: *„dextumus“* in Sallustii bello Iug. 100, 2 a multis libris exhibitam tuetur Priscianus, qui



eandem (III, p. 98) apud Caelium et Varronem (cf. Nonius II, p. 66) invenit. Atque quum illam vocem „antiquam“ esse Festus (p. 74 Müller) testetur, non est cur negemus, Sallustium illam ex antiquis scriptoribus recepisse.

Obsoletam formam adverbii: *„nave“* pro „naviter“ Sallustius Iug. 77, 3 scripsit, cuius unum tantummodo exemplum Neue II, p. 502 ex Plauto affert, quare hanc quoque formam priscam esse opinor (cf. Festus p. 169, a, 3 M.).

De particulis: *„quam-tam“* cum superlativo pro „ut-ita“ antique positis quum Dietsch ad Iug. 31, 14 (cf. Iacobs eodem loco) scite et accurate egerit, non opus est quidquam addere.

In coniugatione ab usitata scribendi ratione formae *„intellegerint“* (fr. I, 45, 23) et *„neglegisset“* (Iug. 40, 1) [perf. „intellegit“: Iug. 6, 2] abhorrent. Quarum quum praeterea unum tantummodo exemplum idque apud Licinium Macrum reperiam: „neglegerit“ (fr. 22 P.) (cf. Diomed. I, p. 369 et Prisc. X, p. 525), incertus haereo, utrum in hac re Sallustium solum Macrum an omnino antiquorum scriptorum morem imitatum esse statuam. Tamen ut ad priorem potius opinionem inclinem, ea re moveor, quod in historicorum fragmentis formae usitatae saepius reperiuntur (cf. Cael. 62, Claud. 57).

Participii forma insolens exstat fr. II, 73: *„agnotorus,“* quam vetustissimos scriptores usurpasse Prisc. X, p. 511, 3 testatur, qui exemplum ex Pacuvio (384) affert. Formae participii fut. *„arguiturus,“* qua Sallustius fr. II, 57 usus est, nullum apud alium scriptorem exstat exemplum (cf. Reisig §. 146).

Alia forma antiquorum scriptorum propria est: *„soluerat,“* in qua Sallustius (fr. II, 64) Kritzio auctore Catonis (cf. Iord. p. 89, 34), mea quidem sententia totius antiquitatis historicorum exemplo usus est. Nam praeterquam quod perfectum „solui“ quum apud antiquissimos scriptores, tum apud Ennium reperiri et Priscianus (VIII, p. 420, 13 K.) et Varro (de l. l. IX, 61 p. 233 M.) comprobant, in historicorum veterum fragmentis nulla alia perfecti forma nisi „solui“ legitur (cf. Cael. fr. 43; Cato Iord. p. 89, 34) (cf. Neue II, 253).

Similiter activa forma *„partire,“* quam Sallustius Iug. 43, 1 profert, contra usum dicendi vulgarem pugnans ab antiquorum sermone haud aliena est (cf. Fabri Iug. 43, 1), ex quorum scriptis Neue II, p. 233 diligenter magnam exemplorum copiam col-

legit. Quamobrem Sallustius in huius quoque verbi activo usu antiquos rerum scriptores, postea Sallustium Tacitus (ann. XII, 30) imitatus esse videtur. Participium autem perfecti pass. „partitus“ etiam posterioribus temporibus in usu fuit.

Quibus adicienda sunt complura alia *verba deponentia*, quae quum in aliis formis, tum maxime in participio perf. *passivam vim* apud Sallustium habent. Quae omnia antiquitatis colorem prae se ferre Dietsch ad Cat. 7, 3 cognovit, cui Badstuebner p. 46 assentitur atque recte assensisse videtur (cf. Reisig. Vorl. §. 151). Nam quamquam verbis: *„machinari“* (Cat. 48, 7; fr. II, 29, 3; III, 38) et *„eniti“* (Iug. 25, 2) nemo ante Sallustium passivo sensu usus est, tamen aliorum verborum antiquitas exemplis demonstratur. Velut *„adipisci“* („apisci“) ut Sallustius Cat. 7, 3 et Iug. 101, 9, sic etiam Plautus (Trin. 2, 2, 88) et C. Fannius (fr. 8 P.) (cf. Neue II, p. 198), *„frustrari“* ut Sallustius Iug. 58, 3, sic Sisenna fr. 102, *„ludificari“* ut Sallustius Iug. 50, 4; sic Plautus persaepe (cf. Neue II, p. 219), *„dilargiri“* ut Sallustius fr. I, 36, sic G. Gracchus Prisciano teste (VIII, p. 386, 3 K.) passivo sensu adhibent. Quem usum aureae aetatis scriptores quum in illis quidem verbis fere repudiaverint, in aliis vocibus servarunt. Velut verba „interpretari“ (Iug. 17, 7) et „ulcisci“ (Iug. 31, 8), significatione deponentiali plane abiecta, passivam vim apud optimos scriptores, ut apud Ciceronem et Livium interdum habent (cf. Neue II, p. 217 et 246; Reis. Vorl. not. 286). Unde apparet, nonnulla deponentia passiva vi usurpata adeo in consuetudinem abiisse, ut ne probatissimi quidem scriptores ea vitarent, alia autem obsoleta et rarissima apud Sallustium reperiri, quae ex antiquis scriptoribus receperit.

Participium *„conventus“* a Sallustio Iug. 112, 2 ita usurpatum, ut passivae formae sensus intransitivus insit, apud antiquiores usitatum fuisse iam Fabri l. c. affirmat: „Dieſes Particip vertritt manchmal die Stelle eines Participiums des Perfects im Aktiv, wie denn pax conventa hier gleichbedeutend iſt mit ‚quae convenit.‘ In der älteren Sprache ſcheint dieſer Gebrauch gewöhnlicher geweſen zu ſein, ſpäterhin wurde nur das Neutrum conventum ſo substantive geſetzt.“ Atque hoc iudicium verum esse testatur locus apud Sisennam (fr. 43: „Servulum conventum in populum produxit armatum“).

Antiquorum scriptorum proprium est, *infinitivum futuri activi*



omnibus numeris generibusque sine discrimine attribuere, quem morem Sallustius Iug. 100, 4 secutus est: „diffidentia futurum, quae imperavisset.“ Cuius usus exempla Gellius I, 7 collegit ex G. Gracchi, Claudii (cf. fr. 43 et 79 P.), Valerii Antiatis (fr. 59), Plauti, Laberii, ipsius Ciceronis (Verr. V, 65, 167, de quo loco cf. Reis. not. 275) scriptis, et Priscianus (IX, p. 476) ex Catone (Iord. p. 26, 7), Lucilio, Sulla (fr. 20 P.). Sallustium igitur loco supra laudato antiquos rerum scriptores secutum formam sua aetate iam inusitatam adhibuisse nemo negabit.

Ut in elementis sic etiam in ea grammaticae disciplinae parte, quae **syntaxis** vocatur, multa reperiuntur, quae insolenter dicta ex antiquiorum rerum scriptorum scribendi genere a Sallustio translata sunt.

Sed primum quidem, quo iure Laws contendat, Sallustii morem *adiectiva* neutro genere *substantive cum praepositionibus coniungendi* ad antiquitatis studium pertinere, non video. Nam ex exemplis, quae Laws affert: „in propatulo“ (Cat. 13, 3), „in incerto“ (Iug. 38, 5; 46, 8; 51, 2; Cat. 41, 1), „in obscuro“ (Cat. 51, 12), „in excelso“ (Cat. 51, 12), ne unum quidem apud veteres historicos reperi. Atque ex aliis eiusmodi dicendi formulis, ut „in dubio“ (Cat. 52, 6), „in extremo“ (Cat. 52, 11; Iug. 23, 2), „in aperto“ (Iug. 5, 3), „ex occulto“ (Iug. 59, 2), „in proximo“ (Iug. 59, 2), „in primo“ (Iug. 68, 4), unum tantummodo in Catonis scriptis invenitur: „in occulto“ (Cato Iord. p. 10, 1), quod etiam Livius, ut Cicero „ex occulto,“ adhibet. Quare minime archaismum in his verbis, sed potius graecismum inesse, atque Sallustium, Thucydidis studiosissimum, eius scribendi rationem in hac re imitatum esse contendo, qui summo studio adiectiva in neutro genere ponit.

Praeeuntibus Vossio (de constr. LXV, p. 252) et Cortio (ad Cat. 19, 3) Lange et Gerlach monuerunt, in formulis: *„in gratiam habere“* (Iug. 111, 1), *„in potestatem habere“* (Iug. 112, 3), *„in tumultum esse“* (fragm. I, 48) accusativum pro ablativo *ἀρχαϊστικῶς* positum esse, qua cum sententia consentit Zumpt, qui (§. 316) verba facit: „In dieſen Ausdrücken wird die alterthümliche Form nur ausnahmsweiſe (bei klaſſiſchen Autoren) beibehalten.“ Quorum omnium sententias plane refutavit Kritz, qui accuratissime Iug. 112, 3 de hac re disserit: „propria accusativi potestas constat, sed ita, ut quartus casus non ex eo verbo pen-

deat, quod adest atque „in“ praepositionem cum ablativo iunctam regit, sed ex suppressa cogitatione, cui concipiendae accusativus inservit, repetendus sit. Nimirum Latini perspicuitatis sensu ducti interdum non contenti erant rei certum statum et condicionem, qualis per se est, declarare, sed simul etiam quasi quandam γένεσιν eius condicionis significare i. e. quomodo ista condicio effecta esset ostendere nitebantur. Quod studium a familiari sermone paullo prolixiore profectum videtur“ (cf. Badstueb. p. 19). Atque tales locutiones omnibus temporibus usitatas fuisse, quum exempla a Kritzio et Badstuebnero collecta ostendant, Sallustius formulis illis ita uti potuit, ut nil scriberet, quod contra usum scribendi pugnaret.

Quid quod ne in hac quidem re Laws recte iudicasse mihi videtur, quod locutionem *„nil reliqui facere“* antiquiorem esse putat. Nam praeterquam quod ne unum quidem exemplum ex antiquitate affert, ipse concedit, hanc structuram ab optimis scriptoribus haud alienam fuisse (cf. Fabri et Kritz ad Cat. 11, 7). Rectius idem locutionem *„non quicquam pensi habere“* ex antiquitatis amore deducere mihi videtur. Nam quamquam usum vocis „pensi“ imprimis apud historicos haud infrequentem fuisse loci docent apud Livium XXVI, 15; XXXIV, 31 et 49; XLII, 23; XLIII, 7, apud Tacitum ann. XIII, 15; hist. I, 46; dial. 29, 2, apud Suetonium et Valerium Maximum reperti (Fabri ad Cat. 5, 6), tamen aliquid prisci illi locutioni inesse inde patet, quod antiquissimis temporibus multo latior fuit usus verbi „pendere“ quam postea, „quum illis temporibus, quibus Romani aere gravi utebantur, omnis pecunia non numeraretur, sed penderetur“ (cf. Dietsch ad Cat. 5, 6). Quare Sallustius, qui illa dictione a Plauto haud raro usurpata Cat. 5, 6; 12, 2; 23, 2; 52, 34; Iug. 41, 9 utitur, si non veteres rerum scriptores imitatus est, at certe formulam ex antiquitate traditam usu recepit (cf. Schultze p. 70).

Insolenter Sallustius fr. I, 100 *„decet“ cum dativo* coniungit, quam structuram antiquis (Plauto, Terentio) haud infrequentem fuisse Zumpt (§. 390), Ruddimann (instit. gramm. vol. II, p. 207), omnes fere viri docti consentiunt (cf. Kritz fr. I, 100; Krueger §. 303 not. 2).

In usu adiectivi *„expers“* Sallustius ab orationis pedestris scriptoribus Cat. 33, 1 plane distat, ubi illud cum ablativo con-



struit more vetustorum poetarum: Plauti, Terentii, Lucretii (II, 1092; VI, 1180) (cf. Fabri et Dietsch ad Cat. 33, 1; Ruddim. II, p. 114).

Structuras *„eâ gratiâ,“ „eâ causâ“* pro „eius rei gratia, causa“ a Sallustio Cat. 52, 7; Iug. 54, 4; 80, 4 ex antiquiore sermone repetitas esse Cortius (cf. Kritz ad Cat. 52, 7 et Iug. 54, 4) exemplis ex Plauto et Lucretio collatis comprobat, quibus Ennium (Cic. de nat. deor. III, 67), Terentium et praecipue Catonem adicio (Iord. p. 27, 5: „eâ causâ“), quem fortasse solum Sallustius in hac re imitatus est. Atque Tacitus, qui ann. IV, 18: „quâ causâ“ scripsit, illam dicendi rationem ex Sallustio hausisse videtur.

In adverbiorum usu Sallustius ab usitata dicendi consuetudine abhorret Iug. 85, 31, ubi in verbis *„parum id facio“* adverbium „parum“ pro genetivo pretii, quem vocant: „parvi“ more prisci sermonis dictum esse Dietsch haud improbabili modo demonstrat. Et praeterea, si tecum reputaveris, illa verba in Marii „prisci et indocti hominis“ oratione exstare, Dietschii sententia probabilior fiet. Attamen quum idem usum singularem adverbii satis certis exemplis stabilire non possit neque obstet, quin verba cum Fabro interpretemur: „ich thue das wenig oder nicht sonderlich, ich bemühe mich nicht darum, meine Worte schön zu stellen,“ non est cur Sallustio antiquitatis studium tribuamus.

In enunciatis obliquae orationi insertis Sallustius *indicativum* permultis locis insolenter pro coniunctivo usurpat. Qui usus, quum virorum doctorum mentes multum exercuerit, ab aliis, ut a Gerlachio (III, 324), ad Graecorum, ab aliis, ut a Lawsio (p. 1) et Walchio (emendat. Liv. p. 191), ad antiquorum scriptorum dicendi rationem revocatus est. Graecorum imitationem quum Dreis plane refellerit, restat, ut alteri Lawsii opinioni accuratam Badstuebneri expositionem (p. 39) opponam. Ex qua colligi potest, non modo Sallustium, sed etiam alios rerum scriptores, si quid ex sua vel aliorum mente proferre idque ut certissimam rem „in nulla dubitatione collocatam“ exprimere velint, indicativo uti solere. Nam id munus atque officium historicis impositum esse, ut „in rebus narrandis quam maxime caveant, ne quid incerti vel ficti referant.“ Quae igitur alii solius Sallustii propria putant, ille doctus vir in omnium rerum scriptorum natura posita esse censet. Atque quod Sallustius multo saepius quam alii

rerum scriptores a trita dicendi ratione recedit (cf. Cat. 14, 7; 17, 7; 22, 3; 27, 4; 30, 6; 50, 3; 51, 32 et 43; Iug. 16, 2; 35, 4; 38, 9; 54, 1; 63, 1; 93, 1 et 6; 97, 3; 106, 3; 111, 2), hoc mihi minime ad veterum historicorum imitationem, sed ad scriptoris ingenium spectare videtur, de qua re scite Dietsch Iug. 38, 9 egit: „Quum indirecta oratione alius non ipsa verba tradantur, sed quid dixerit, senserit, cogitarit referatur, in proclivi est, ut ea membra, quibus res factae commemorantur, non cum illius oratione consocientur, sed simpliciter narrentur; atque etiam multo minus id mirandum est in eo scriptore, qui fere semper magis quid, quam qua ratione dicendum sit, curaverit."

Compluribus verbis, quae vulgo coniunctiones vel aliam structuram postulant, Sallustius *infinitivum* subiungere solet, quam consuetudinem Dietsch (Cat. 5, 9), Badstuebner (p. 42), alii viri docti ad Graecorum (vel poetarum) dicendi rationem (cf. Kritz Cat. 52, 24; Zumpt §. 616), nec immerito, revocant. Attamen suspicor, nonnulla illorum non graecismi speciem, sed imitationem veterum historicorum prae se ferre. Perlegenti enim mihi veterum rerum scriptorum fragmenta nonnulla occurrerunt, quae ab illis insolenter dicta mirum in modum Sallustius eodem modo expressit. Veluti verbo *„dehortari"* solo illo Catonis loco, quo apud veteres historicos reperitur (Iord. p. 27, 1), infinitivus subiunctus est, qua eadem ratione Sallustius Iug. 24, 4 scripsit. [Verbum autem simplex „hortari," cui non modo Sallustius Cat. 9, 5, sed etiam probatissimi scriptores, atque vox „monere," cui Sallustius Cat. 52, 3 et Iug. 19, 1; Cicero de fin. I, 20, Cael. 14, Cato maj. 10 infinitivos subiungit, in fragmentis historicorum neque cum particula „ut" („ne"), neque cum infinit. coniuncta leguntur, neque „prohibere" (Sall. Cat. 18, 3; 58, 6; fr. V, 3) aut „cunctari" (Cat. 44, 6) aut „intendere" (Iug. 92, 6; 107, 7) aut „imperare" (Iug. 47, 2; Cat. 16, 2) aut „ardere" (Iug. 39, 5) aut „eniti" (Iug. 14, 1; cf. Fabri l. c.) aut alia multa, quae diligenter collegit Badstuebner p. 42 sq.]. Verbo *„niti,"* ut Sisenna fr. 28 (quo solo historicorum fragmentorum loco cum enunciato iunctum reperitur), sic Sallustius Iug. 25, 9; 37, 2 infinitivum addit. Et *„postulare"* verbum solo illo loco, quo in reliquiis rerum scriptorum exstat (Lic. Mac. fr. 20), infin. sequitur, ut apud Sallustium Iug. 17, 1; 47, 2. Atque quamvis ne alii quidem scriptores omiserint, nonnunquam infinitivum illis



vocibus subiungere, tamen mirum est, quod a veteribus rerum scriptoribus quibusdam verbis, quae ex usitata dicendi ratione particula sequitur, solis illis locis, quibus reperiuntur, infinitivus additur. Quae quum ita sint, non dubito statuere, Sallustium in nonnullorum illorum verborum constructione veteres historicos imitatum esse, quamquam in universum Dietschii et aliorum opinione standum esse puto, scriptorem nostrum in creberrimo infinitivi usu Graecos secutum esse.

Apud Sallustium haud raro reperitur vox *„scilicet"* sequente accusativo cum inf. (Iug. 4, 6; 102, 9 [113, 3 Fabri]; fr. I, 51, 5), qua in structura principalis voculae potestas apparet, qua valet: „elucet," „perspicuum est." Quod verbum antiquiores scriptores velut Plautum, Terentium, Lucretium, alios illo modo saepius coniunxisse Fabri ad Iug. 4, 6 demonstrat, Madvig consentit (gramm. lat. §. 395 not. 5), quorum opinionem secutus illam scribendi rationem, quamquam exemplum non traditum est, ad veterum historicorum imitationem refero.

Verbis *„laudandi," „gratulandi," „gaudendi"* antiquos scriptores et praecipue Plautum frequenter particulam *„quum"* pro „quod" aptasse Fabri (ad Iug. 102, 5) recte vidit. Sed quum et ipsum Ciceronem saepius ita scripsisse Kritz luculentis exemplis comprobet (cf. Cicero ep. ad fam. 9, 14, 6; 13, 24, 3; 7, 28, 2; 16, 12, 12; de fin. III, 2, 9), Sallustius illa constructione uti potuit, ut nil scriberet, quod a suae aetatis dicendi genere abhorreret. Tamen quoniam is particulae „quum" usus apud Plautum saepe reperiatur, apud Ciceronem fere semper in epistolis sermone quotidiano scriptis, in illa loquendi ratione consuetudinem vulgaris sermonis ex antiquitate servatam quaerendam esse censeo. Accurate et diligenter de ea re Dietsch Iug. 102, 5 exposuit.

### C. De vocibus, quas ex antiquis historicis Sallustius mutuatus est.

Ex iis, quae modo tractavimus, manifestum est, Sallustium non multa tantum in orthographia, sed etiam in grammaticis rebus e veterum historicorum scriptis sibi vindicasse. Haud minus ad verba pertinuisse Sallustii furta, quum iam veteres censuerint, nunc vero argumentis confirmandum est.

Vocem *„necessitudo,"* quam antiquiores scriptores sine discrimine cum voce: „necessitas" confundunt, posteriores eo sensu adhibere solent, ut tantummodo de coniunctionis vinculo dicant,

paucis locis exceptis, quibus sensus priscus relictus est. At si Sallustii scripta perlustrabis, apud illum uno tantummodo loco „necessitudo“ vocem (Iug. 80, 6) de familiaritatis coniunctione, creberrime pro voce „necessitas“ (cf. Fabri ad Cat. 17, 2) more antiquorum scriptorum dictam reperies, ut Sisennae (fr. 98) et Sempronii Asellionis (fr. 5). Sed ut Sallustius „necessitudo“ vocabulum propterea amavit, quod antiquior est, sic eodem antiquitatis studio motus etiam alia vocabula in „tudo“ exeuntia adhibere maluit, ut Iug. 2, 4 et 7, 4 *„claritudo,“* qua voce Ciceroni, Caesari, aliis non usitata, a Tacito, Sallustii imitatore, saepius scripta antiqui (ut Cato Iord. p. 15, 1; 19, 17; Sisenna fr. 49) pro vulgari „claritas“ uti solent. Sed omnino antiquis rerum scriptoribus *formas in „tudo“ exeuntes* placuisse haec fere exempla demonstrant: „pinguitudo“ (Cato p. 11, 2), „sanctitudo“ (Claud. fr. 2), „crebritudo“ (Sisenna fr. 122), „duritudo“ (Cato. p. 48, 15). cf. praeterea Reisig Vorl. §. 70: „Die Endung tudo gehört zu den älteſten; ſo findet ſich bei Plautus und Feſtus: canitudo, albitudo, bellitudo. Eine ſpätere Endung iſt tas, die in vielen Wörtern an die Stelle von tudo trat“ (cf. Leo Meyer: vergl. Gramm. Vol. II, p. 539 sq.).

Ab usitato dicendi genere Sallustius hac quoque re recedit, quod summo studio et amore, ut actionem verbi iteratam et intentam significet, *verba frequentativa* usurpat, cuius usus haec fere exempla reperiuntur: „agitare“ (Cat. 9, 5; 23, 3; 61, 9; Iug. 14, 10; 18, 9; 59, 1; 63, 5; 81, 4; 94, 4; 109, 2 etc.), „afflictare“ (Cat. 31, 3), „defensare“ (Iug. 26, 1; 60, 3; 97, 5), „exagitare“ (Cat. 14, 3; 38, 1; Iug. 73, 5; 84, 5 etc.), „imperitare“ (Iug. 19, 7; 81, 1 etc.), „missitare“ (Iug. 38, 1), „negitare“ (Iug. 111, 2), „obiectare“ (Iug. 7, 1; 85, 14; 94, 4 fr. I, 45, 18), „occursare“ (Iug. 12, 5; 85, 3), „pollicitari“ (Cat. 38, 1; Iug. 8, 1), „tutari“ (Iug. 94, 4; 85, 45; 76, 3; 110, 6; 102, 12; 89, 2; locis Iug. 52, 4; 74, 3; 85, 45 fluctuant libri), „rogitare“ (Cat. 31, 3), „dictitare“ (Iug. 84, 1), „ductare“ (Cat. 11, 5; 17, 7; 19, 3; Iug. 38, 1; 70, 2), „ostentare“ (Iug. 7, 2; 23, 1; 31, 10 etc.), „captare“ (Cat. 20, 3), „occultare“ (Cat. 23, 2; Iug. 12, 5; 15, 4 etc.), „exercitare“ (Cat. 56, 2), „consultare“ (Cat. 6, 6; 51, 1 etc. cf. Badst. p. 23), „prospectare“ (Iug. 60, 3), „adventare“ (Cat. 56, 4; Iug. 28, 2; 36, 4 etc.), „sustentare“ (Cat. 53, 5; Iug. 97, 5; 101, 9 etc.), „amplexari“ (Cat. 52, 5),



„grassari“ (Iug. 1, 3; 64, 5), „coeptare“ (fr. I, 51, 16). — Verba autem frequentativa etiam antiquis scriptoribus valde placuisse Gerlach (Iug. 11) et Kritz (Iug. 23, 1) praeeuntibus Walchio (cf. Tacit. Agric. II, p. 112) et Boetticherο (lex. Tacit. p. 336) recte observasse mihi videntur, quum multa eiusmodi verba a probatis scriptoribus plane neglecta et simplicibus reddita ab antiquis frequentarentur, velut „ductare“ verbum apud Plautum frequens (praeterea apud Tacitum hist. II, 100; Quintil. VIII, 3, 44), „pollicitari“ comicis usitatum, „negitare“ vox priscis poetis propria. Et quum apud priscos historicos usus frequentativorum verborum latissime pateat (cf. „ostentare“ Rut. Ruf. fr. 15; „accessitare“ Cato Iord. p. 8, 5; „obiectare“ Cato p. 25, 3; „unctitare“ p. 29, 3; „occursare“ p. 35, 9; „datare“ p. 37, 14; „latitare“ p. 87, 19; „vectare“ Cato R. R. 10, 1; „vectitare“ Cato Iord. p. 59, 1; „subrectitare“ p. 64, 7; „praecipitare“ Sis. fr. 33; „periclitari“ fr. 84, 91), non dubito creberrimum illorum verborum usum apud Sallustium ad eos scriptores referre.

*„Adoptatio“* vox rara a Sallustio Iug. 11, 6 breviori „adoptio“ praelata Dietschii iudicio antiquitatis amori debetur, quamquam etiam Cicero Tusc. I, 14, 31 et pro Balbo 25, 57 „adoptatio“ exhibet. Quare dubium est, num Sallustius archaismum admiserit, praesertim quum in prisco sermone nullum eius vocis exemplum relictum sit, nisi apud Gellium n. a. V, 19, 2, qui antiquitati indulget (cf. Schultze p. 46).

*„Antevenio“* verbum rarum a Sallustio frequentatum (Iug. 4, 7; 48, 2; 56, 2; 88, 2; 96, 3) antiquis scriptoribus, imprimis Plauto, proprium fuisse lexica indicant. Quam vocem postea ex Sallustio recepit Tacitus (ann. I, 63; IV, 18).

Idem de verbo: *„attinere“* statuendum est, quo pro „retinere“ „feſthalten“ rarius usurpato Sallustius Iug. 108, 3 et fr. I, 51, 16, saepius Tacitus (cf. Boetticher, lex. Tacit. p. 46 sq.), frequenter veteres comici usi sunt (cf. Schultze p. 72).

In bello Cat. 23, 1 Gerlach e plurimis codicibus *„senatu amoverant“* recepit, quod prisco dicendi usu frequentatum esset, ad quam sententiam comprobandam ne unum quidem exemplum affert. Rectius Fabri „amoverant“ verbum tueri mihi videtur similibus exemplis, quae ab usitata locutione: „movere senatu“ abhorrent, velut „de senatu movere,“ „eicere ex vel de senatu,“ quae saepius apud ipsum Ciceronem leguntur,

et „emovere senatu," quod Livius XLV, 15 scripsit; quid quod et ipsum: „amovere senatu" Val. Max. II, 2, 5 adhibet? Quibus consideratis Sallustio vix antiquitatis studium imputari potest.

„*Calvere*" verbum a nostro scriptore fr. III, 96 scriptum antiquos (Plautum, Pacuvium, Attium, Lucilium) dixisse pro „decipere" vel „frustrari" Nonii (I, p. 4 G.) testimonio satis confirmatur. In veterum autem historicorum fragmentis non exstat.

„*Cernere*" verbum, quod Cortio auctore Kritz Cat. 59, 5 in textum recepit, apud antiquiores in usu fuisse ille exemplis ex Ennio et Plauto sumptis firmat (cf. Nonius IV, p. 178). Sed valde dubium est, num omnino Sallustius illo verbo usus sit, quum plurimi et optimi libri atque Arusianus (p. 218) vocem „certare" exhibeant.

Recte Dietsch ad Iug. 64, 5 monet, vocabulum „*consultor*" a Sallustio pro eo, qui alicui consilium dat (cf. Iug. 85, 47; 103, 7; fr. I, 51, 1; III, 82, 15; inc. 57), adhibitum ex antiquitate repetitum esse. Nam illo significatu vox reperitur in antiquo et pervulgato versu, quem Gellius n. a. II, 5 affert. Eundem et Varro refert R. R. III, 2, 1 et imitatus est Tacitus ann. VI, 10.

Sallustium vocabulum „*contagio*" Cat. 10, 6, ubi „in malam partam accipienda esset, vi societatis et communionis sceleris" ex prisco sermone ascivisse, quo iure Laws nullo exemplo addito contendat, perspicere non possum, quippe quod vel optimos scriptores illa significatione usurpare lexica doceant.

Idem de voce „*cupido*" statuendum est, quam potestate vocabuli „cupiditas" positam, Ciceroni et Caesari plane insolitam, priscis auctoribus propriam fuisse Laws (p. 8 et 9) animadvertit. Nam si Lawsii iudicium sequimur, moveri possumus, ut omnia, quae in Sallustii dicendi genere a Ciceronis sermone discrepant, ad priscae orationis imitationem spectare censeamus. Quum igitur „cupido" vocem illa significatione apud probatos scriptores usitatam fuisse lexica doceant, mihi quidem Sallustius in eius vocis usu a vitio archaismi liberandus esse videtur.

Kritz fr. III, 82, 25 et Fabri or. Lic. 25 „*claudere*" verbum pro „claudicare" vel „claudum esse" antique dictum esse (fr. III, 82, 25; 98; inc. 76) recte annotaverunt. Nam idem verbum rarum non solum apud Ciceronem (Tusc. V, 8, 22; orat. 51, 170; Brut. 59, 214), sed etiam apud Caecilium com. 32 (cf. Prisc. X, 514, 16) legitur.



„*Victos dare* est vincere," Kritz Iug. 59, 3 inquit, „qui usus verbi ‚dare' apud antiquiores scriptores et poetas haud rarus est." Quam sententiam veram esse exempla a Cortio collata comprobant: Terent. Haut. V, 1, 77 „exornatum dabo;" Phorm. V, 8, 81 „incensam dabo;" Plaut. Cist. II, 3, 51 „perfectum dabo;" Pers. IV, 1, 19 „intricatum dabo" (cf. Vergil. Aen. XII, 437 „defensum dabit," Seneca Med. 528 „demersos dabo;" Liv. VIII, 6, 6 „stratas dare;" [VII, 33, 11: „dicta dederat"]).

Participium „*dolens*" Iug. 84, 1 active pro „dolorem afferens" dictum perrarum esse (cf. Ovid. Met. II, 245), contra saepius reperiri „dolet" impersonaliter cum dat. coniunctum (non solum apud antiquos, sed etiam apud Ciceronem) Schultze Fabrium secutus accurate exposuit. Num igitur Sallustius in insolenti illius participii usu antiquiores scriptores secutus sit, ut Kritz et Dietsch contendunt, valde dubium est.

Vocem „*dolus*" Sallustius Cat. 26, 2 bono sensu pro „sollertia" more antiquiorum scriptorum Gellio (XII. 9) Festo (p. 69 M.) Ulpiano (Dig. IV, 3) testibus ponit (cf. Kritz Cat. 26, 2; Schultze p. 73).

Kritz et Fabri antiquos „*exitium*" pro „exitu" vel „fine" dixisse recte ad Cat. 55, 6 observarunt (cf. Festus p. 81 M.); Sallustium autem id verbum illo sensu antiquiore Cat. 55, 6 adhibuisse Dietschio non persuaserunt, qui hoc quoque loco „exitium" non solum pro „fine," sed pro „pessimo exitu," „pernicie," ut apud omnes scriptores, dictum esse itaque nil obsoleti in se habere recte monet (cf. Doederlein, syn. II, 64 sq.).

Animadversio Dietschii, qui Iug. 74 contendit, adverbium „*ferme*" a vocula „fere" ea re diversum esse, quod illud antiquius sit, Varronis testimonio (de l. l. VII, 5, 92) confirmatur. Sallustius ipse duobus locis „ferme" scripsit (Iug. 48, 3; 74, 3), Cicero perraro (Att. V, 20), saepius posteriores scriptores, ut Livius et Tacitus.

„*Sine fraude*" pro „sine poena" antiquos saepius adhibuisse Schultze p. 57 recte exemplis ex Plauto (Mil. II, 3, 23) et ex lege XII tabul. (cf. Gell. XX, 1, 49) et ex prisco regis verbo apud Livium I, 24 collectis demonstrat. Sed hanc formulam ex

antiquiore sermone traditam posteriores scriptores non neglexerunt, ut Liv. XXVI, 12, 5 et Sallustius Cat. 36, 2.

*„Inquies"* et *„quies,"* quorum prius Sallustius saepius in historiis usurpat (fragm. I, 8; 51, 11 et 16; II, 45; IV, 60), priscae adiectivorum „inquietus" et „quietus" formae fuerunt. Nam „quies" tantummodo Naevius (apud Prisc. VI, p. 242 K.) et Lic. Macer (fr. 7 P.) scripserunt, „inquies" vox Plauto accepta est, quam posteriores scriptores, imprimis Sallustius et Tacitus, usu receperunt.

Quid Dietschium moverit, ut Iug. 84, 1 dicendi formulam *„iubere alicui aliquid"* (pro „decernere") ex antiquitate receptam esse censeret, non intelligo, quum nonnulla eius usus exempla apud Livium (IX, 43; X, 12; XLII, 33), nulla apud antiquos exstent.

*„Lubido,"* Laws p. 9 recte annotat, „rarius apud Sallustium notionem impetus animi praeclaras res appetentis, saepius vim effrenatae cupiditatis habet." Sed rariorem eius vocabuli usum Sallustium ex antiquo sermone ascivisse, ut idem contendit, nego. Nam quamquam Plautus vocem notione illa insolentiore non neglexit, tamen aliis atque optimis scriptoribus illum usum haud alienum fuisse lexica docent.

*„Obsidium"* pro „obsidio" voce a Sallustio fr. I, 84 et IV, 19, 14 et a Tacito, eius imitatore, ann. III, 39; IV, 51; XIII, 56 etc. more antiquorum scriptorum dictum esse demonstrat usus eius tantummodo Plauti (Bacch. IV, 19, 24), Varronis (de l. l. IV, 16), C. Laelii (cf. Festus p. 193, a, 19 M.) proprius. Nam Kritzii animadversionem, qui Festum in verbis: „‚obsidium' tanquam ‚praesidium,' ‚subsidium' recte dicitur" non de „usitata" vocis potestate, qua idem sit quod „obsidio," loqui, sed raram „subsidii" significationem defendere velle statuit, tantum abest ut probem, ut Festum inusitatam vocis „obsidium" formam hac re defendere putem, quod eodem modo, quo „subsidium" et, ‚praesidium" vocabula, formata sit (cf. Festus p. 198, b, 18 M.).

Idem, quod de vocabulo „obsidium," de voce *„obsequela"* pro „obsequium" a Sallustio fr. II, 58 dicta statuendum esse puto, quae tantummodo apud antiquos poetas (Afran. com. 257; Turpil. com. 63 et 210; Plaut. Asin. I, 1, 50) reperitur.

Num Poppo (in edit. Thucyd. pars I, vol. I, p. 377) verbum *„occanere"* (fr. I, 69) priscum esse recte animadverterit, difficile



est diiudicare, quum nullum obsoletae illius formae exemplum ex antiquitate traditum sit. Quapropter rectius Reisig iudicasse mihi videtur (§. 153, 2): „Sallust bildet sogar des Wohlklanges wegen etwas ganz Neues, „occanuere" statt „occinere," des vollen Schalles der Hörner wegen" et not. §. 295, a: „Zugleich wurde durch diese Form die Nebenbedeutung eines bösen Omen vermieden, welches sonst durch dieses Verbum bezeichnet wird." In huius quoque verbi usu Tacitus Sallustii aemulus est, qui ann. II, 81 scripsit: „occanere cornua iussit."

Haud infrequens est ut apud Sallustium, sic apud Tacitum et Livium verbum *„patrare,"* quod antiquitatem olere omnes fere interpretes Doederlino (syn. IV, p. 367 §. 11) recte assentiuntur. Nam verbum illud a Caesare, Suetonio, Plinio plane neglectum, a Cicerone rarissime usurpatum, apud Catonem R. R. 54 et in lege antiqua (apud Cic. de legg. II, 8) legitur; apud Sallustium his locis exstat: Cat. 18, 8; 53, 4; 56, 4; Iug. 13, 5; 21, 2; 43, 4; 70, 5; 75, 2; 88, 4; 92, 1.

Vocem *„promiscuus"* vetustam in Cat. 12, 2 vim „vilis" adiectivi habere Laws p. 9 monuit. Rectum quidem est, quod de significatu vocis animadvertit, sed cur prisce eam dictam censeat, nullo ex antiquitate exemplo allato, equidem non intelligo. Nam praeterquam quod etiam alii scriptores, ut Livius et Tacitus, hoc adiectivo saepius usi sunt, id ne amaverunt quidem antiquiores, ita ut Sallustium nil obsoleti scripsisse persuasum habeam.

Fabri (ad ep. Mithr. 1) et Kritz (ad fr. I, 55) *„quaesere"* antique dictum esse censent. Reisig. Vorl. §. 154 addit: „quaeso — der älteste Stamm für quaero, worin sich noch s für r zeigt, quaeso ist also nicht mehr als quaero." Quam opinionem Corssen I, p. 229 luculentissime confirmavit, ita ut nil dubitationis relictum sit, quin in huius verbi usu Sallustius, qui „quaesere" saepe exhibuit (fr. I, 51, 13; 55; 120; III, 1, 8; 82, 13; IV, 19, 1; 16; Iug. 85, 10), antiquam dicendi rationem secutus sit (cf. Neue II, p. 376 et Voss de annal. III, 41, p. 163).

Vocem *„satias,"* quae apud Sallustium pro „satietas" fr. II, 35, apud Tacitum quater, apud Livium semel legitur, antiquis scriptoribus tritam fuisse exempla a Nevio I, p. 589 ex priscis poetis collata docent (cf. Nonius II, p. 117 G.).

*„Subvertere"* verbum Ciceroni et Caesari alienum, a Sallustio frequentatum (Cat. 10, 4; 13, 1; Iug. 30, 1; 94, 4; fr. I, 45,

3; 51, 8; 10; IV, 19, 15) Laws pro prisco habet. Si verum est, quod ille statuit, haud improbabile videtur, Sallustium, qui tam saepe illo verbo utitur, veteres rerum scriptores secutum esse, e quibus Claudius bis (fr. 10) eam vocem usurpavit.

*„Senectus"* insolenter adiectivo sensu fr. inc. 86 („senecta iam aetate") et IV, 64 („senecto corpore") positum, more antiquorum scriptorum dictum esse exempla apud Plautum (Trin. I, 2, 5; Amph. IV, 2, 12; Aul. II, 2, 75 etc.) et Lucretium (III, 774 et V, 884) satis comprobant.

In usu vocis *„supplicia,"* quam Sallustius nonnunquam pro „supplicationibus" vel „sacrificiis solemnibus" posuit (Cat. 9, 2; 52, 29; Iug. 55, 2), antiquitatis colorem inesse Festus p. 308 et 309 testatur: „Supplicia veteres quaedam sacrificia a supplicando vocabant" (cf. Varro R. R. II, 5), quam significationem Livius et Tacitus, Sallustii imitator, nonnullis locis retinuerunt (cf. Liv. XXII, 57, 5; Tac. ann. III, 64, 3), ut vetustatis colorem servarent.

*„Tempestas"* vocem pro „tempore" Sallustius summo studio usurpat (Cat. 7, 1; 17, 7; 22, 1; 24, 3; 36, 4; Iug. 3, 1; 8, 1; 13, 7; 30, 4; 32, 5; 35, 1; 37, 1; 40, 5; 65, 5; 90, 1; 114, 4; fr. IV, 19, 10) atque in hac re antiquos sequitur. Quam sententiam veram esse exempla apud Plautum, Pacuvium, Lucilium, Varronem reperta (cf. Nonius IV, p. 276) demonstrant (cf. Poppo Thuc. pars I, vol. I, p. 377, Doederlein syn. II, p. 208). Quem Sallustii morem Livius et Tacitus nonnullis locis retinuerunt.

In adiectivorum obsoletorum *„tumulosus"* (Iug. 91, 3) et *„discordiosus"* (Iug. 66, 2) usu Sallustii studium prisci sermonis apparere Poppo (Thuc. pars I, vol. I, p. 378) pro certo affirmat. Et omnino adiectiva in „osus" desinentia in antiquiore sermone frequentissima fuisse Reisig accurate §. 110 exponit: „Selten iſt ein Wort auf osus, welches nicht von altem Gepräge und guter Autorität wäre." Quare sic statuendum puto, Sallustium non modo adiectiva supra laudata, sed etiam alia in „osus" exeuntia, non ita obsoleta, ut „bellicosus," „calamitosus," „famosus," „formidolosus," „negotiosus" adhibuisse, ut orationem antiquiorem et graviorem redderet. Quam sententiam veram esse usus eiusmodi adiectivorum veteribus rerum scriptoribus frequentissimus demonstrat. Nam praeter solitas formas: „artificiosus" (Sempr. Asell fr. 13 et Rut. Ruf. 7) et „luxuriosus" (Cato p. 22, 5) praecipue commemoranda sunt: „bellosus" (Cael. 5), „facundiosus" (Sempr. As. 10), „industriosus" (Cato p. 9, 12), „litorosus" (Fab. Max. 1), „litterosus" (Cass. Hem. 28), „morbosus" (Cael. 36), „sentinosus" (Cato p. 14, 7), „squamosus" (Cass. Hem. 13).



Antiquis temporibus *„venenum"* mediae significationis fuit vocabulum atque valuit „medicamen" (teste Gellio XII, 9), quem usum Sallustius Cat. 11, 3 retinuit, ubi „venena mala," ut in lege antiqua (apud Cicer. p. Cluent. 54, 148), legitur (cf. Schultze p. 78, Iacobs, Fabri, Dietsch ad Cat. 11, 3).

Iacobs ad Iug. 11, 7 dicit: *„Verbum* in dieſer Bedeutung: „Aeußerung" ſonſt nur bei den Komikern üblich." Recte quidem, nam ut Plautus (Aul. III, 6, 11; Cas. II, 5, 39; Most. I, 3, 95), sic Terentius (Andr. I, 5, 5; Eun. I, 2, 95; Ad. V, 8, 29) ita locuti sunt. Sallustium igitur archaismum adhibuisse apertum est.

## D. Quibus in rebus Sallustius veterum historicorum scribendi colorem imitatus sit, explicatur.

Quum hactenus tractatum sit, quid Sallustius in grammaticis rebus et in verborum usu ex veteribus historicis asciverit, restat, ut exponamus, quae ex antiquioris orationis conformatione et colore mutuatus sit. Sed in perquirenda illa re summa cautione opus est, ne in errores multorum virorum doctorum incidamus, qui Sallustii imitationem veterum scriptorum adeo auxerunt, ut illum in scribendi colore fere toto se ad Catonem et alios antiquos scriptores applicuisse censerent. Nam primum quidem haud omittendum est, Sallustium non solum veteres rerum scriptores, sed etiam graecos auctores, imprimis Thucydidem, lectitasse eorumque dicendi genera admiratum et multis in rebus imitatum esse. Accedit huc, quod Sallustii aetate rhetorum scholae apud Romanos florebant et sermo figuratus in honore erat, ut figuras illas rhetoricas apud Sallustium frequentes e studio eloquentiae rhetoricae prodiisse haud improbabile sit. Denique vero alia multa, quae ad veterum imitationem referuntur, rectius ex ingenio et natura scriptoris nostri repetenda sunt. Quae quamvis ita sint, tamen Sallustium etiam in scribendi colore pendere a veteribus scriptoribus, ut verisimile est, quandoquidem imitationem veterum apud illum tam late patuisse satis apparuit, sic certum fiet, si accuratius rem persequemur.

Sallustii artem et ingenium valde admiramur in arguta **brevitate**, quae quum in verborum paucitate, tum in pressa narratione rerum rapide defluente conspicitur. Verba enim, quae ex antegressis suppleri possunt, omittit. Sententias integras, quae ad res illustrandas non prorsus necessariae sunt et a lectore ex verborum contextu facile eliciuntur, praetermittit. In enumerando saepe voces vocibus potius sine coniunctione adiungit, quam inter se colligat. Amplo periodorum ambitu plane neglecto enunciata nullis vel paucis particulis iuxta collocare, quam arcto nexu artificioso inter se colligare maluit. Quo factum est, ut abrupta et per brevia incisa paene omnis decurreret oratio.

Sed ut Sallustio, sic etiam antiquiori sermoni proprium est, ut presso dicendi genere et „pura illustrique gravitate magis quam concinna et artificiosa membrorum compositione excellat“ (cf. Gerlach Vol. III, p. 321). Quare Sallustium in summo brevitatis studio veteres scriptores secutum esse multi viri doctissimi monuerunt, ut Gerlach (l. c.), quocum consentit Laws (p. 1): „Sallustius in oratione formanda ad exemplum antiquiorum scriptorum regressus et horum dicendi genus est secutus. Sallustius enim orationem ita conformavit, ut enunciata saepenumero iuxta locaverit neque coniunxerit“ (cf. praeterea, quae Deltour de hac re disputat p. 26 — p. 32). Quorum virorum vera esse iudicia exempla demonstrabunt. Primum quidem *ellipseos*, quam dicunt, exempla permulta reperies apud veteres historicos; velut verbum substantivum „esse“ ut apud Sallustium, sic apud veteres historicos saepe omittitur (cf. Piso fr. 18; Cato Iord. p. 8, 17; 20, 2; 23, 16; 26, 7; 41, 11; 42, 2; 44, 3; 58, 3 et 10; Cael. fr. 4; Cass. Hem. 34; Sis. 14; 16; 35; 57; 79; 88; 99; 135; 136). Deinde vero in *enumeratione* antiquiores rerum scriptores voces vocibus sine copula adiungere solent (cf. Cato p. 19, 18; 25, 7; 28, 6; 27, 1; 74, 2; 88, 1; Sisenna fr. 40; 46; 113; Cael. fr. 48; Claud. 36; 94 etc.); quid quod ne verentur quidem, sex et plura substantiva sine particulis inter se nectere (cf. Claud. fr. 8; Cato p. 28, 13). Idem de sententiis connexis statuendum est (Cato Iord. p. 14, 4; 19, 17; 28, 8; Piso fr. 8; Sis. fr. 27; 63; 67; 73; 82; 84; 97; Cass. 34; Cael. 9; 30; 41; 44; 46; Scaur. 6; Claud. 36 etc.), quo fit, ut toti antiquorum rerum scriptorum sermoni aliquid fracti atque abrupti insit (cf. Claud. fr. 11$^{b}$, p. 209, 5 et 210, 6 P., fr. 81; Val. Ant. fr. 6; Pis. 8; 27). Sed quum



praecipue Catonis oratio brevibus atque concisis sententiis, summa gravitate excellat (cf. orat. contra Therm., pro Rhodiens., contra Galbam), quare quum a veteribus tum maxime a Sallustio (fr. I, 2) summis laudibus effertur, nescio an Sallustii brevitatis studium praecipue ad Catonis dicendi genus referendum sit.

Idem gravitatis studium apud Sallustium in *aequabilitate* et *oppositione membrorum* cernitur, quibus ille adeo indulget, ut singulis etiam singula opponat verba, quem morem quamquam recte Deltour p. 26 priscis scriptoribus quasi insitum esse contendit, falso tamen ad solius Catonis imitationem refert. Nam illum usum ne aliis quidem insolitum fuisse exempla docent. cf. Sis. fr. 27: „Romanos - protelant, protelatos persecuntur;“ fr. 67: „Victoribus proprie spem, victis adversae fortunae maiorem formidinem obiecit;“ 73: „Inermos armati, impeditos expediti - interficiunt;“ Claud. fr. 10$^{b}$ (p. 209, 8): „Gallus sua disciplina scuto proiecto cunctabundus, Manlius animo magis quam arte confisus.“

Huc etiam pertinet mos ordinem verborum in oppositis invertendi, quam rationem grammatici *chiasmum* vocant. cf. Cato Iord. p. 34, 11: „Si cuperent hostes fieri, temere fieri nunc possent;“ p. 41, 2: „Decem viros Bruttiani verberavere, videre multi mortales;“ p. 35, 3: „Si quis strenue fecerat, donabam honeste atque in concione verbis multis laudabam;“ Fab. Pict. (iur. pont. lib.) fr. 7: „Polybrum sinistra manu teneto, dextera vasum cum aqua;“ Cael. 58: „Delinquere frumentum, Sardiniam hostes tenere;“ Claud. 81: „Ligna subdidit, submovit Graecos, ignem admovit;“ 88: „Crudeliter ille, nos misericorditer, avariter ille, nos largiter;“ Sis. 47: „Barba immissa et intonso capillo;“ 50: „Sublatus laetitia nimia atque impotentia commotus animi.“

Ex eodem prisco fonte hausta esse mihi videtur *anaphorae* figura, qua membra maiore vi efferuntur. Velut Cato p. 16, 17 scripsit: „Quotiens annona cara, quotiens caligo aut quid obsteterit;“ p. 17, 3: „Compluriens eorum milites — alteri alteros occidere, compluriens multi simul ad hostes transfugere, compluriens in imperatorem impetum facere;“ p. 86, 15: „Multa auguria, multa auspicia.“

# Vita.

Gustavus Otto Bruennert natus sum Rudolphopoli a. d. XII. Kal. Sept. anni h. s. L patre Ernesto, puellarum scholae rectore, et matre Paulina, quos ambos vivere laetor. Fidei addictus sum evangelicae. Rudimentis literarum imbutus ad gymnasium Rudolphopolitanum adductus sum, quod primum directore Muellero, tum Rehdantzio, viris illustrissimis et caris mihi praeceptoribus, floruit. Ubi disciplina magistrorum usus sum: Klussmann, Dittenberger, A. Lindner aliorumque virorum praestantissimorum, quibus omnibus, atque imprimis E. Klussmann prof. ill., curae operaeque in me collatae multa beneficia debeo atque piam gratamque memoriam semper servabo.

Anno h. s. LXX maturitatis testimonio munitus in numerum civium academicorum Ienensium receptus sum. Postquam per tria semestria adii scholas horum virorum doctissimorum: Nipperdey, K. Fischer, A. Schmidt, Bursian, M. Schmidt, Fortlage, Delbrueck, autumno anni LXXI me contuli Lipsiam, ubi per tria semestria interfui scholis horum virorum illustrissimorum: Drobisch, Zarncke, Curtii, Ritschl, Voigt, Lange, Wenck, Eckstein, Lipsii. Anni LXXIII vere Ienam redii. Duo semestria sodalis fui ordinarius seminarii philologici Ienensis, quod floruit sub auspiciis professorum ill. Nipperdey, Bursian, M. Schmidt; atque etiam paedagogicis exercitationibus, Lipsiae ab Ecksteinio, Ienae a M. Schmidtio directoribus institutis, per duo semestria operam dedi.

Omnibus his, qui me docuerunt, viris doctissimis et summe venerandis maximeque C. Bursian professori ill., qui semper et docendo et suadendo studia mea auxit, gratias ago quam possum maximas eosque rogo, ut eandem liberalitatem etiam in posterum largiri velint.

RUDOLPHOPOLI, TYPIS EXPRESSIT G. FRŒBEL.